17 April 2003 Martin Tavakolian markup
text typed (without Macron accents) - TEI header added - Semantic markup added (names)
5 June 2004 Ruediger Niehl markup
indentation corrected
06/2008 Reinhard Gruhl markup
some corrections inserted - corrections from the errata list not integrated

---

image: s001

Carminum MICHAELIS ABELI Francofurdiani LIBRI QUATUOR Elegiarum libri II. PLERAQUE NUNC primum et nata et edita. Anno MDXC.

---

image: s002

[gap: blank space]

---

image: s003

MAGNIFICO, AMPLISSIMOQUE ET CLARISSIMO VIRO, Dn. SEBASTIANO GERSTAMANNO, I. V. Doctori, S. Caes. Maiest. et Illustrissimi Marchionis Brandeburgici, Principis Electoris, etc. Consiliario, Academiae Francofordianae Ordinario et Professori pub. S. P. D.

INSIGNEM ESSE POETICAE vetustorum gravitatem et sapientiam, (Patrone magnifice) egregiamque ob multifariam ex eius cognitione emerges emolumentum, dignitatem, in confesso iam pridem est omnium: usque adeo, ut eos, quicumque ab isthoc quasi humanioris cuiusdam Philososphiae commercio vel abhorreant prorsus, vel abdicato eo ad sublimiores illas, quas vocant, facultatum se penetrarent classes, haud aeque compendioso et molli per amoenissimos musarum campos, tramite, ad sapientiae arcem adspirantes, pari cum aliis perfrui iucunditate constet: Ac quod molestius in huiuscemodi lautitiis sollicite

---

image: s004

exquirendis operam ponere studeant, delicatioris quasi condimenti expertes, remissiore fere cum expolitae orationis successu, polydaedalae concepta mentis eruditioribus probare soleant. Quandoquidem vel *[gap: Greek words]* , ipsa nimirum arguat veritas. Et poeticam *[gap: Greek words]* optimae vetustatis iudicio habitam scribat Strabo.

Hoc igitur nomine, cum iam olim D. Geor. Sabini, popularis mei et numquam sine expressa gratae observationis mentione nominandi praeceptoris notitiae, amicorum interuentu assertus, huic me seu disciplinae, seu mavis ludicro, pueriliter addixissem, ut nimirum artis literariae (cui tum, aetate sic exigente, operam impendebam universam) fundamenta optimorum poetarum pervestigatione, et qualicumque in pangendis versiculis tyrocinio commodius emetirer, auctorumque mihi hoc exercitii genere muqologi/an et scribendi formam redderem familiariorem, omninoque id efficerem, ut

---

image: s005

et libentius aliquando et minore cum negotio, in talibus reconditioris eloquentiae argutiis excutiendis liceret versari. Nescio quo denique factum sit omine, ut tametsi D. Sabinus, anno illius necessitudinis vix dum integre exacto, naturae et fato concedens, inter vivos agere desierit, ipse tamen ab hoc Apollinei gregis consortio avelli deinceps nullo potuerim pacto, haud secus, ut opinor, ac sponsi Penelope, qui apud Homerum, spe dominae adipiscendae praeclusa, famularum amoribus indulgere satagebant. Usque adeo grandis habere momenti instar intellexi, magnis si quae subeunt animos auctoribus, ut ait poeta. Addixit ea me res paulo post et D. Abdiae Praetorii et Ioh. Schosseri, virorum clariss. nec non Copernici Iuriscons. et in hisce studiis cum laude versati, familiaritati, ipsique etiam Haslobio, tum iuveni coiunxit, in cuius cum ob aetatis et sudiorum quandam morumque similitudinem, et animorum consensum seu concentum potius, intimam statim consuetudinis

---

image: s006

ac benevolentiae adscitus essem communitatem, sub horum, quos dixi, consultorum auspiciis licentius etiam hisce me lusibus, si diis placet, pro infantiae tum meae et infra mediocritatem positi ingenioli praecocitate dedere occepi. Quamvis autem intervallo haud ita longo post, lue contagiosa Academiam nostram hanc, iam prius nescio quorum turbulentis, ac plus quam tribunitiis misere afflictam convulsamque tumultibus, denique *[gap: Greek words]* evertente, e medio huius et aliorum vix dum recte inchoatorum studiorum curriculo, praeter quam constitueram, abreptus, apud exteros ob itinerum et negotiorum varietatem fortunaeque multifariam mecum non minus serio quam graviter ludentis invidiam, ab illustribus illis ac festivissimis Gratiarum complexibus prope exciderim; Ad Academiarum tamen, licet serius aliquando, quam expediebat, me revocato communitatem, haec sectari animus perseverebat: tum vero nihil prius habere aut antiquius, quam celebratissimos

---

image: s007

quosque et in his optimos amicae necessitudinis iure mihi devincire et reddere quam benevolentissimos.

Ex quibus honoris ergo nominare possum Georgium Fabricium, virum, si quisquam alius, castae et ob id irreprehensibilis poetique alumnum, ut solertissimum, ita piissimum. D. Ioh. Maiorem, Gregorium Bersimanum. Et quem postea nomine et auctoritate S. Romani Imperii coram arbitro Divo Rudolpho II. *[gap: Greek word]* habui, D. Ioh. Sambucum, V. illustrem, et vel ob sola generosae antiquitatis studia, perpetua omnium eruditorum celebratione dignissimum: mihi vero etiam sigillatim ob officii minime contemnendi memoriam, propensae observationis nota venerabilem. Horum igitur et similium, quorum mentione consulto supersedemus, usu et societate subinde quasi *[gap: Greek]* relapsus, ne grandis avidem ab hoc me Pegaseae festivitatis consortio abstinere prorsus possum aut exoluere. Cum ebriis quiddam propemodum habens

---

image: s008

commune, quibus, vinolentia cessante, cerebri restat, quam crapulam dicunt, concussio: Sive tamen morbus est ille potius, quam cum ratione et prudentia coniunctus ardor: Equidem si, posthabito venustae oblectationis mellificio, emolumenti solius duci voluissem compendio, iam pridem filias cum ipsa, quod dicitur, matre, cum Philosophia puto, omnes abdicandum fuisset artes. Verum enimvero mea sic semper tulit opinio, non tam fructu ullo aut commoditate, quam maiestatis ac pulchritudinis splendore metiri oportere id, quod honestatem cum mediocri famae et existimationis antiquitate propositam sibi haberet mercedem. Hinc adeo factum esse libenter fateor, ut hae literae, quae adolescentiam olim meam cultus et observationis propensitate egerunt, eaedem hodie virum quoque mirifice demulceant, quasque itinerum et molestiarum habuerim semper comites, easdem, inter quietioris vitae respirationes, oblectationi ducam et decori. Pietati quodammodo

---

image: s009

id tribuens, ut quas olim in amoribus et iocis, in suaviorum et decliciarum iucunditatibus, occupatas habuerim musas, cum iisdem, floralibus quasi decursis, ne nunc quidem, ubi *[gap: Greek words]* iuxta Homerum, divortium meditari animum inducam, neque illis indignari, siquidem instar monedulae artificiali vocis humanae imitatione imbutae, affabilitatem ad modulum disciplinae et institutionis comparatam, *[gap: Greek word]* quandoque insipidoque deliramento quopiam, ob faciliorem detritae consuetudinis lapsum, inepte interpolent.

Hanc de studiis meis commemorationem, Patrone magnifice, intempestivam fortasse criminetur quispiam, et absurdam: Ego, ut non prorsus supervacaneam, sic vel hoc saltem nomine reprehensionis periculum praestare posse autumo, quodiis quae hoc tempore, seposita omni scrupulosi examinis ventilatione, opera prorsus tumultuaria in publicam periclitari placuit lucem, veniam facilius

---

image: s010

obtinere posse sperem, posteaquam aequus censor in illa rerum et incommodorum varietate, me non tam ullam *[gap: Greek words]* aut numinis alicuius poetici intus praedominantis, prae me ferre, intellexerit iactantiam, quam aut officium, aut pictatem, aut omnino necessitatem: quod alia nunc non essent in promptu.

Sunt denique illa revera nihil aliud, *[gap: Greek words]* , ex quibus nolim vel de ingenio vel industria aut voluntate scribentis fieri iudicium. A te quidem, magnifice Patrone, qui ea mihi non inter mutorum magistrorum suppetias desidenti, sed pleraque nuper, inter operas parum iucundas, et haud ita pridem in itineribus terrestribus et maritimis, obiter, aliudque agenti, non tam nata esse, quam excidisse, compertum habes: exceptis paucis admodum, quae negotiis in aula implicito extudit molestiarum diuturnitas, haec edita in optimam partem intellectum iri non diffidimus, vel eo saltem, dum aliis quae apud



---

image: s011

exteros etiam nunc cum blattis luctantur, haec pracipitata permutare detur. Fuit omnino amicorum quoque postulationi, non tam opportunae, quam frequenti, tribuendum nonnihil, quorum opinioni iurique meam obluctari diutius difficultatem, parum ab inhumanitate abfuisset. *[gap: Greek words]* propriam esse huius artis haud nos fugit: atqui iuxta Iulianum *[gap: Greek words]* inesse nostris, si coniectura fallimur, *[gap: Greek words]* sane *[gap: Greek words]* , cum Isocrate, Lectorem nostrum monebimus: aut certe *[gap: Greek words]* . Ideo enim et consuetudinis pristinae nostrae consilium repudiandum nobis esse duximus, cum hactenus omnia nostra *[gap: Greek words]* tuto provolarint: nunc ad gravissimi Mecaenatis Genium habens receptum, a quo Musae nostrae id, in quo ab auctoris ingenio deficerentur, mutuo acciperent. Cuius nuncupationis penes te, amplissime Gerstmane,

---

image: s012

nullam deponere caussam laboro aliam: praeterquam quod te solitum intellexerim, inter gravissimas studiorum et consiliorum occupationes,

Nostras esse aliquid putare nugas.

Industriae alicuius vadimonium illis sistere, qui vel optima quaeque sibi inscripta censura aut cognoscunt aliena, aut suopte intellecta marte, nullius habere pensi magnificentiae imputari postulant suae, parum admodum ab ignominia abesse reor. Ideo ab Aristide Adrianeo sophista sapienter scriptum legimus: *[gap: Greek words]* . Tametsi autem te, Patrone observande, operis tanto luculentioris celebratione dignum censemus, quanto et virtutum eximiarum, familiaeque et eruditionis in te tuisque dignitas effulgescit illustrior et amplitudo: pro tamen ea, qua es natura in

omne humaniorum disciplinarum genus, et in haec quoque, a non parum multis hodie nescio quam in imi subsellii despicata parte abiecta, studia,

---

image: s013

iudicii aequitate et benevolentia: Te nostris hisce, in nobis post viginti quinque annorum exilium, revisa patria, primitiis compellari haud detrectabis, meque in illorum adscribes numerum, qui honoris tui et laudatae existimationis fulgorem, omni contentione diuturnitatis memoriae consecrare, monimentorumque impensa et fide ad posteritatem conservare enixe fatagunt. Sunt hi operarum, quas in cassum, vulgo iudice, ducimus, fructus, haec emolumenta: nec aliunde certior, quam ex literarum *[gap: Greek word]* perennitas. *[gap: Greek words]* . Id Haslobio carissimo nostro, subinde per literas a me admonito, si in mentem venisset, elucubrationem suorum fors maturius adornasset: Quamvis interim, quae iam existant, auctoris nomen saeculorum iniuria facile prohibebunt.

--- *[gap: Greek words]*
[gap: Greek words] :

iuxta Hesiodum.

Deum precor, ut, quandoquidem iuxta Thucyd. *[gap: Greek words]* , musaeo

---

image: s014

lepore condita, Deique et clarorum hominum encomiis nata ingenia hoc tempore ad usus necessario exusciret, foveatque et conseruet: nostrum hoc, a multorum iam annorum memoria, pietatis genuinae et liberalium scientiarum cultibus consecratum, politissimorumque ingeniorum foeturis abunde nobilitatum, emporium, a pudendorum centonum verminatione asserat: Ad rerum gubernacula provehat tales, quorum generationi iuxta Platonem, plurimum admixitum sit auri argentique, aeris et ferri minimum. Tibi denique nobilissime Patrone, et tuis anni huiusce ineuntis principium et progressum optatissimis secundet auspiciis: illamque quam diu iam ex praeclarae indolis ac manifesto felicitatis augurio blandiente percipis sobole voluptatem tibi iubeat esse perpetum. *[gap: Greek words]* Vale. Kal. Inavarii, inchoantibus annum Christi x c. supra D. et M.

Michael Abelus.

---

image: s015

SPICAE ET ALAE BICOLORES, NOBILIS GERSTMANNORUM familiae insignia.

HAec Gerstmannorum virtus insignia factis,
    Haec decora emeritis obtinuitque suis.
Nempe coronari sic inclitus exigit ardor,
    Insignesque decet nobile stemma viros.
utque polos ultra bipatentibus evolat alis
    Laus ea, nec porro quo moveatur habet:
Haud sinit eloquio Pallas praecerpere palmam,
    Quasque bona ingenii contulit auctor opes.
Quam bene, cum sophia, maiestas inclita fandi
    Pingitur in clypeo, stirps operosa, tuo.
Quis tamen areolis bicoloribus ordea miscet?
    Spica quid augurii, frugis alumna, fovet?

Ultima caelestum, terris, Astraea, relictis,
 Ad sua cum celeri tenderet astra pede:
Si Iove nata feror, si quid mea numina possunt,
 Quis mea de clypeo symbola vellet? ait:
Quasque manu clarum fulgente gerebat, aristas
 Inservit niveis diva benigna locis.
Inde fovet studiis generosique indole cultus,
 Legiferae, domus haec, arma librosque deae.

---

image: s016

[gap: carmen gratulare in Greek language]

---

image: s017

MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI CARMINUM Liber Primus.

AD LECTOREM.

DA veniam, qui salsa probas epigrammata, lector,
 Haud fortuna ioco quaelibet apta meat.
Neu scopus ille fuit ludentis: idonea sumpsi
 Temporibus, censor quaeque severus amet.
At desiderii suspende parumper habenas,
 Loetius e calamo postmodo lemma fluet.

DE EPIGRAMMATIS SUIS.

Magna petunt spatium, residemque poemata sensum,
 Otia nos operis haud satis ampla premunt.
Nec bene momento vivax effunditur uno
 Musa, recognosci ter totiesque petit.
Nec precor aetatem genitor iuvenilibus opse
 Lusibus, abiectos deleat una dies.
Sive quod exorti nomen fortuna reservat,
 Vatis id ex alio lustra canore metant.

DE CORONA PIETATIS.

Dignus amor formae est, Syria flos utilis aevi
 Dote comans, omni iudice, serta gerit.

---

image: s018

Es merito: iunctis quid enim praestantius? at mors
 Tetra superveniens id diadema rapit.
Fidere qui Christo novere viriliter, illos
 Illanguescenti fronde corona manet.

DE VOCATIONE GENTIUM ad fidem.

Qui fuimus quondam mera nil nisi nomina gentes,
In laudes Domini stirps operata sumus.
Quemque creatorem rerum non novimus ante,
Asserta colimus relligione patrem
Christe tui fructus meriti, tua sancta trophaea
Et, partae, vehimus laude salutis opus.
Indefesse novis quaeso cultoribus adsta,
usque redemptorem te patiare coli.
Neu decus e nostris illud regionibus aufer,
Tu prius, exacto temporis orbe, redi.

CHRISTI PATIENTIS Icon.

Membra flagellorum livoribus horrida spectans,
Stigmate peccati noveris esse tui.
Talis, et indignus meritis, manet exitus illum,
Quem non culpa facit, non eris ulla reum.
Venimus huc certae devota catharmata labi,
Mortis, an est mirum, corpora iure premi?

POETARUM MAIUS.



image: s019

Festa coronantes hilarant Heliconis alumni,
Tempore cum Zephyri flamine plaudit olor.
Numina sinceri candoris amantia Musae
Vatibus ingenium laetitiamque parant.
Et bene proveniunt ab amoeno pectore lusus,
Quadrat et integritas relligiosa sacris.

DE FIDEI DEFECTU.

Cana fides antiqua stetit, nunc denique facta
Calua, nec auriculas, qua teneatur habet.

APOPHTHEGMA TITI.

Iam data Vulcano Solymae delubra crepabant,
Omnis et in cinerem pristinus ibat honor.
Turma sacerdotum veniam lacrimabilis orans,
Victorem rapidum victa poposcit opem.
Ab vitam, vitam liceat producere tantum,
Quos Titus alloquio sic comitatus, ait:
Quo mihi sacrificum genus, aede focisque crematis?
Cum sacris pereat turba ministra suis.
Nulla quod, exhibito restabat victima Christo,
Nec cordi fuit haec amplius ara Deo.

PIA CONFABULATIO.

Angor, ut haud ulli parcant adamantina nostrum
Fata: suo bullam more perire doles?

Vita quid haec igitur? vapor et sentina malorum.
　　Hae miseris sortes? hospita turba sumus.

---

image: s020

Nulla salus terris: quorsum contendimus ergo?
　　Christus ubi nostrae portio carnis agit.
Ipse quidem supra. fratres nos acciet idem.
　　At morimur: patriam sic repetemus humum.
Imus et in cineres: Solenna redinduet olim
　　Massa, redemptoris lota cruore, iubar.
Ite, mori certate, piget tellure morari;
　　Qui Christum didicit nosse, beatus obit.

NOX MESSIAE NATALIS.

Noctis opus tenebrae fuimus, sed luminis auctor
　　Editus illustrat Sole creata novo.
Huius ad astra piis itur per tartara ductu:
　　Hoc duce privatos nil iuvat alta dies.

STULTUS VARIAT instar Lunae.



Alternat vicibus faciem Dictynna recurrens
　　Menstrua, nunc falcis, iam caput orbis habet.
Et nunc mane novo, mox vespere proserit ortus,
　　Nunc etiam longa candida nocte micat.
Sic variant animi comitantis in omnia vulgi,
　　Quilibet instabilem Portea ventus agit.
Qui vagus inclinat regnator et alea sortis,
　　Huc favor et famuli pacta sequacis eunt.
Hi levibus mores: gravis est sententia recti,
　　Hanc pius, aularum monstra valete, sequar.

---

image: s021

HOROLOGII INSCRIPTIO.

Machina momentis natas e pluribus horas
　　Quae citat, et sectum per sua puncta diem,
Tempora furatur miseris mortalibus aevi,
　　Actaque perpetuis lapsibus ire monet.
Quam GygioCroesus nequeat reparat talento,
　　Raptor hic, usuram, continuatus edit.
Et convexa tonos quoties ad sidera plangit,
　　Ire gradu metam proximiore docet.
Arguit aetatem non posse revoluere cursum,
　　O dolor et multis flenda ruina modis.
Mors a calce premit: studiis quid inanibus almum
　　Mens hominis fati nescia, tempus agis?

DE MAGIS ORIENTALIBUS.

Persidos heroes Christi praesepe salutant,
Et, stella, Domino tus, praeeunte, sacrant.
Quam tractusque sui non admisere salutem,
Nota fit abiectis gentibus illa salus.
Largus in omne dator genus est hic et aequus in omnes,
Quot quot adopaati prolis amore sumus.
Spernere at exhibitum, quaeso, nolite: videtis
Poena sit ingratam quanta secuta domum.

CALLIMACHI.

Fusa coronatis olim pigmenta capillis,
Quae capitique super sunt data cumque meo:

---

image: s022

Amisere suum, nullo prohibente, nitorem,
Quaeque vel ingratus munera venter habet.
Crastina non vidit genus hoc auror a: sed auri
Credita victuro tuta vigore manent.

IN IMAGINE MICHAELIS et Sissarae.



Sic pereant omnes, sic demittantur ad Orci
Stagna, puellari vim faciente manu:
Insultare Deo quicumque ferociter audent,
Ac Domini laudes contemerare probris.
Vivere sic discant, oculo qui vindice spectans
Dira tyrannorum destruit acta, Deum.

HUMILITATIS AC modestiae symbolum.

Obvia facta caprae capra limine pontis in arcto,
Una per alterius terga cubantis abit.
Quanta viros credis virtutem poscere? tantum
Caprigeno pecori si rationis inest.
Cuncta scatent pugnis, sola cladibus undique flagrant,
Carpit, qui didicit cedere, tutus iter.

IN SPEM.

Laudis amator eram, fateor, spe plenus, et intra
Credula vis animum dulce fovebat opus.
An decet hoc divam? fraudem pro laude propinas,
Famam pacta, famem pene fimumque paras.
Quando erit ut promissaratis eventibus edas?
Spes mea: namque trahis tu quoque lenta pedem.

---

image: s023

Tempestiva veni, quaevis mora longa petenti est:
Si qua velis apte reddere, redde cito.

EPHEMERIS.

Veste subinductos postquam decor occupat artus,
Noctis et ignavo est lotus ab ore sopor:
Restat ut Eoae Domino praeconia laudis
Quos iubar hoc alma luce revisit, agant,
Eius opus quod humum rediens aurora salutat,
His quod adhuc auris vescimur, eius opus.
Prima Creatori debentur, proxima Musis
Tempora, corporibus cetera, nulla probris.

IPSE FACIET.

Est ubi multa leves animis, licet irrita, vectant,
Quos sata mortali gente cupido trahit
Multa quoque a sensus imi penetralibus urget
Lingua, sed incassum verba vehente Noto.
Quid non ira minax, aut non amor efferus audet?
Vota sed eventu non rata, crimen habent.
Fas voluisse, sed effectures edere certo
Haud nisi solius numinis esse liquet.
Ergo quid in curas animum laceramus inanes?
Vanus ab afflictis cordibus angor eat.
Ad Dominum si quae sint aerumnosa relega,
Spes sibi confisi pectoris ipse facit.
Mille peracturis remorae mortalibus obstant,
Caussa potestatem non tenet ulla Dei.



---

image: s024

IN EANDEM SENTENTIAM.

Dum nos anxietas distendit in omnia fervens,
Cura Dei curis haud sinit esse locum.
Ast ubi, consilio, res deficiente recedit,
Ipse deus prompta gesta secundat ope.
Ergo quid in tristes animum dispescere morsus,
Quos sine profectu discutit aura, iuvat?
Nonne foret satius Domino mandare quod aegre est,
Quoque laborantes exagitamur, onus?
Ipse facit nostro longe magis ardua captu,
Ipse Panomphaeo numine digna facit.

MORSUS POMI LETHALIS.

Carpit Adam vetiti morsu mala fercula fructus,
Totius hoc dentes crimine gentis hebent.
Daemonis hinc ea vis, Orcique potentia vulgo
Regnat in humanum, morte metente, genus.
Imminet huic valida labi virtute mederi
Christus, et in nostra carne redemptor agit.
Arbiter huc Stygis invadens a calce momordit,
Immeritaeque dedit nobile plasma neci.
Morsus hic inferno rictum stupefecit, et omne

Eripuit Stygio ius rabiemque cani.
Laurea victori date conscia laudis ovantes,
Talibus emeritis liber a turba sumus.

---

image: s025

VOTUM AGURIS.

Quam prius ex aevi me fata volumine tollant,
Summe Deus, duo te, non renuenda precor.
Sint idolatrici procul o procul Orgia cultus,
Linguaque promissam sons violare fidem.
Ipse quibus fatuos daemon venatur aventes,
Da mihi quam largas exigit usus opes.
Ne malesuada manum furtis immergat egestas,
Et tua ne locuples nomina forte negem.
Haec duo si dederis, me dote beaveris ampla,
Mixtaque cum digna gratia laude fluet.

NUSQUAM TUTA FIDES.



Prisca fides nusquam velis provecta secundis,
Incidit in Syrtes omnibus una locis.
Nec virtutis id est vitium,quae candida motu,
Quo minime credas damna latere, meat.
Mens hominum fallax imperscrutabile monstrum
Furua quot absconsis fraudibus antra tegis?
Moribus haec aetas non convenit improba nostris,
Simplicitas veteres illa requirit avos.

Oi)ste/on kai\ e)lpiste/on.

Dura superveniunt omnes cum sorte noverca:
Tu fer et infractas spes ale, victor eris.

IN AVARUM.

Omnia fornicibus conclavia et obiice munis,
Quo bona sollicito parta labore tegas.

---

image: s026

At tu conde prius fragilis retinacula vitae:
Mortuus auxilio destitueris opum.

AD CHRISTUM PIA meditatio.

Te custode frui liceat vitalibus auris,
Nulla mihi tellus esse noverca potest.
Pellis alumne tuas ad pascua, Christe, bidentes,
Quando rubens udam mane salutat humum.
Qua mihi nec liquidi fontes, nec roscida deerunt

Gramina, quae succi vim medicantis habent.
Non ovis ulla feros strepitus horrescit et umbram,
Vallis ut in coecae fornice carpat iter.
Pallida mors tenebris oculos praestringat obortis,
Haud tamen exangui corda pavore premar.
Omnis in infracto pecoris stat cura magistro,
Inque salutaris cognitione pedi.
Christe sacrosancti gregis unice et optime ductor,
Sanguine qui partum pascis ovile tuo:
Cum varii casus, cum tot discrimina, cum sit
In conductitio rara labore fides:
Raptores averte lupos, averte leones,
Ipse gregem patrio iure tuere tuum.
Sic tibi solvemus plausus, uberrima fient
Sacra, vehet laudes vox ubicumque tuas.

NAVIS INSCRIPTIO.

Qua tibi terra secundat iter,quid classe profectus,
Alveolo vitam, corpora credis aquae?

---

image: s027



Lucis quanta rogas sint et discrimina lethi:
Palmi crassities inter utrumque patet.

PSALMI SENTENTIA.

Corvus iners ales, non esibus apta, nec oscen
utilis, haud moritur sola relicta fame.
Et dubitamus adhuc tanta nos indole cretos
Rebus in angustis respiciatne Deus?
O nimis aegra fides: tarde quae credita prosunt
Credimus, in nugas aemula corda patent.

IN CRUCEM REDEMPTORIS.

Vulnera, Christe, tuusque dolor, crux lubrica tabo,
Sudor et in votis ille cruentus agon,
Mortis ad intuitum mihi sint medicina salutis,
Confesso veniam concilientque reo.
Ne pro multiplici damnatus crimine sudem,
Neu reus ad longi flagra doloris agar.
Vivere perpetuo tua per mihi vulnera detur,
Stipitis exortes suppliciique dies.

DE ABELE.

Corda fidemque Deus, non munera, censor, et arai
Respicit, hinc gratum venit Abelis opus.
Dumque placet pietate sua (mirabile caeli
Iudicium) miser a caede peremptus obit.
Numinis hi lusus, sic nos Deus ipse gubernat,
Prima ferit sanctam quaeque ruina domum.

image: s028

IN SPEM POETAE.

Ut mera me, neque firma satis, neque certa fovet spes:
Spem teneo, sola spe miserandus alor.
Rebus eram fisus, cessit fiducia rerum,
Fisus amicitiis, nullus amicus adest.
Artis amator, at arte diu desertus ab ipsa,
Putribus ingenii credere cesso bonis.
Denique praesidium quondam quodcumque fovebam,
Excidit, orba fides undique litus arat.
Spes tamen adsistit tenuis, mirabile dictu,
Quomodo stet, nullo cum fruar ipse statu.

DAVIDAE R. VOTUM.

Haud sua vaticinum lusit fiducia regem,
Cum tribus e poenis poena legenda foret.
Lene remolliri genus et placabile divum est,
Inquit, et ad veniam sontibus ara patet.
Labar in offensi reus ergo libentius iras
Numinis, humano vindice nolo premi.
Vota fides sequitur, medio furor impete cessat,
Orta capit, gladio, poena volante modum.
Quae stat in humanis, spes, irrita, rebus habetur,
Protinus ad Domini confugiamus opem.

TEMPUS FILII DEI natale.

Nox hiberna putris verno praelata diei,
Reddita natali, Christe, beata tuo est.

image: s029

Orta salutavit nos sic aurora,quibus mox
Assidui dabitur veris odore frui.

AD NATURAM.

Quid Natura stupes, quod virgo puerpera plaudit,
Estque, sed illaeso facta, pudore, parens.
Ipse quod humanae massam Deus induit alui,
Digna tuo magis haec caussa stupore foret.
Res aeque miranda, quod haec mysteria divum
Firma fides animo vera probante capit.
Haec tria daedalei fugiunt examinis astum,
Nostra supernates cura prehendat opes?

DE SAULE R.

Cum Deus in poenas surgit gravis ultor, et irae
Vindicta Nemesis praebet, agente, locum.
Haud manifesta ferox in fulmina contrahit arcum
Impetus, aut subito cuncta furore necat.
Quamvis interea celeres quoque sumere motus,
Nempe nefas ubi quod grandius urget, amat.
Ante sed elisis mentem penetralibus aufert,
Sic ratio medium deficit inter opus.
Corruit in cladem pronis conatibus ultro,
Caecus et implicitos quolibet error agit.
Saulis ad exemplum, post omnia pessima praeceps
Induit immani cui latus ense furor.
Este pii: specie fas numina ludere nulli,
Trans etiam clausi pectoris exta vident.

---

image: s030

SUPPLICATIO AD DEUM.

Magne Deus, qui templa tenens illustria mundi
Aequa tribundii iura vigente facis:
Quemque nec ulla capit dubiae fallacia legis,
Caussa patroemium vendere nulla movet.
Neu sinis arbitrium iudex ut corrigat alter,
Ipse cor et renes, intimaque exta probas.
Ite, venite, brevis sententia: scilicet haec sunt
Ultima caelestis dicta futura fori.
Magne Deus, nulla meriti virtute clientem
Sed sola fretum speque fideque bea.
Neu me iudicio, venia censere sequestra
Pro nati meritis obsequioque, velis.
Haec mihi certa salus, (etenim sunt cetera fraudes:)
Si qua redemptoris parta cruore venit.
Sic ego post etiam lugubria funera vivam,
Et mea cum sanctis sors animabus erit.



EX II. PSALMO.

Sceptra fremunt inimica Deo sobolique tonantis,
Qualibet immanes increpuere minae.
Oppugnata feris Ecclesia plangitur armis,
Indignis pietas occubat ipsa modis.
Quid tamen insano iuvat indulgare furori,
Vos populi, gentes, celsaque regna soli?
Nonne videtis, ut evertat soliumque regentemque,
Asserat utque suo cum grege templa Deus?

---

image: s031

Frenditis incassum, Christus sua pignora praesens
Vindicat, immensum plebs ea numen habet.

AGNUS VICTIMA.

Non sua, sed populi velut acta piacula solvens,
    Sanguine sacrificos imbuit agna focos:
Sic Patris aeterni soboles aequaeva, patratis
    Hostia pro mundi caeditur icta malis.
Est, bene promerito vitam qui donet amanti,
    Pro coniurato quis velit hoste mori?

PRECES NICOLAI Monachi.

Summe parens, aufer motus quodcumque labantes
    Torquet ab intuitus agnitione tui.
Redde mihi sensus altae virtutis amantes,
    Quae vertantque meos ad sacra iussa pedes.
Meque facultatemque meam mihi deme, Redemptor,
    Si qua penes me sunt, omnia dede tibi.
Sic mortalis adhuc aulae stellantis amicus
    Arguar, et tecum saecula perpes agam.

IN NOVUM ANNUM.

Per tot abhorrendos, fata exitialia, casus,
    Tot per et insidias daemonis atque cruces,
Trux quibus infestat genus omne, volubilis anni
    Ecce redens iterum fulget in ora iubar.
Summe Pater, quo te elementem carmine dicam?
    Nos tibi qui reliques plenus amore, facis.



---

image: s032

Mensis habet finem, quo Sol diuturnus in umbras
    Tempora prolixa nocte diurna premit.
Frigora clarescunt Euris, lux publica mundi
    Nunc ad Hyperboreos ex Babylone redit.
Lumen io, pie Christe, tua virtute serena,
    Hora secundatis motibus omnis eat.
Quodque noverca mali fortuna minatur, id usque
    Pellat ad antipodas cur a benigna Dei.
Sic te, Christe, sator toties remeabilis aevi
    In vivax avida laude canemus opus.

SOLICITUDO HOMINUM perversa.

Fallaces hominum, praepostera somnia, curas:
    Quid iuvat ah tanto vana labore teri?
Hospitiis qua nos statio male certa moratur,
    Quisque sibi vivax aedificamus opus.
Et quotus est qui parua domus exordia iactet,
    Huc ubi perpetuae sedis agenda mora est?
Non capit aeternas mens angustissima dotes,
    Temporibus quae sunt semula quaerit, amat.

DILUCULUM.

Terga dedit nox atra comas, auferte veternum,
  Alma, reportata, purpura luce micat.
Ipse, pererrato, qui conspicit omnia mundo,
  Phoebus inoffensum promit ab orbe iubar.
Desidiae somnisque datum sat inertibus esto:
  Plus vigilet, vitam degere quisquis amat.

---

image: s033

DE MALEFICO.

Aedis ad antiquae stertens homicida ruinas,
  Ante pedes Serapin cernere visus erat.
Dum licet, aufer, ait, stratum, Deus: ille resurgens,
  Fugit, et en paries concidit actus humo.
Mane recens orto, servati more clientis,
  Sostra diis hilarans Iure meroque litat.
At Serapis rediens his se cum vocibus offert:
  Ista (nefas) superis dona placere putas?
Cladibus aversis superes, damnatus ut olim
  Crimina supplicio conveniente luas.

EX ISIDORO.

Vergit ad occubitum mundi plaga pondere nutans,
  Terra vetustatis fessa labore gemit.
Illud anbelantis caeli sublime volumen
  Pene recusat onus, conficiturque situ.
Hoc animadvertens atrae dominator abyssi,
  Mille per incautum crimina vulgus agit,
Horret enim, trepidatque gravem post saecula flammam,
  Nescia quam merito finis averna parant.
Hinc furit, hinc totas dirarum effundit habenas,
  Lenior ut multo poena sodale premat.
Haec certusque mali, relevaminis impos et expes,
  Quid facimus, quorum porta salutis hiat?

ORIGO REATUS HUMANI.

Cum Stygius serpens hominisque subacta voluntas
  Crimina iunxissent exitiosa toro:

---

image: s034

Foeda recensitu proles hoc demine venit,
  Culpigenae gentes qua faciente, sumus.
Lege parente, rapax peccati filia mors est,
  Haec tacito sequitur facta maligna gradu.
I nunc et placitae consulta cupidinis explens,
  Quo desiderii postulat error eas.

MUSICAE.

In terris homines, in caelo numina mulcens
Musica, sincerae gaudia mentis alo.

VINEA ECCLESIAE.

Ante genue laudemque Nicri vindemia ponet,
Exul et a Rheni vitis agetur agro.
Praela cothurnatus pressabit inania Pannon,
Nulla Bobemorum musta Sudetus alet.
Ister et incipiet Bacchi dediscere cultus,
Cesserit a Viadri cole meracus odor.
Messe racemorum quam non ingente redundet,
Ille Redemptoris sanguine pinguis ager.
Est Deus est sua qui muro vineta coronans,
Cum notius streperas vulpibus arcet aves.
Sufficit incrementa, novus quo palmes in auras
Certet, ubi quae sunt luxuriosa domat.
Donec erunt baculis prompti fulcire novellas,
Terge virentis humi quique bidente novent:
usque bonis turgens Ecclesia foetibus ibit,
Vitisatorque botros colliget inde suos.

---

image: s035



Dum soles fuerint, pariter bona vina sequentur,
Monsque triumphanti foetificabit hero.

GANYMEDIS INSCRIPTIO.

Quo tamen haec pueri caelo tendentis imago?
Ungula quem pandi fert aquilina pedis?
Infantem praeferre, fide mutante, necesse est,
Si quis ad alta vehi regna salutis amat.

DE NUPTIIS CANANAEIS.

Ire Cananaeis qui connubialibus hospes
Sustinuit, nuptis et nova vina creat:
Comprobat hoc facto sponsalia fautor, et ortae
Spondet egestati ferre libenter opem.

VINUM EX AQUIS.

Pocula mutantur dulci Cananaea Falerno
Fit, Domino, simplex unda nuente merum.
Obstupuit natura, graves exarsit in iras
Iussus et ex hydria currere, Bacchus, ait:
Nempe labant sortita suum mea numina finem,
Cum nova de puteo vina scatente fluunt.

DE IISDEM NUPTIIS.

Qui facit in laticem putei genus ire Lyaeum,
In succosque novos alterat auctor aquas.
Numinins omnipotens hac arguit indole robur,

Maiestas proprie competit illa Deo.

---

image: s036

Prompta quiescenti sed enim cui tanta secundant,
Imperio quid eum posse flagrante putas?

IN SUPPUTATORES curiosos.

Lapsibus occubitum si quis determinat aevi,
Decipit haud dubie calculus iste fidem.
Quod semel a nostri sensus indagine clausit
Rector, id exculpi non sinet ulla dies.
Voluere scripturas huc intendamus acumen,
Longanimis Deus est, lentus ad arma venit.

FORTUNA POETAE.

Tetra meae facies est sortis, ab omnibus una
Proditus, in piceo turbine solus ago.
Et vos a misero, dixi, discedite Musae:
Ast illae propius accubuere mihi.
O infelices, si non reperistis alumnum
Hospitio qui vos commodiore tegat.



PUERO IN ALBI submerso.

Contemplata meos, pubes temeraria, casus,
Discas alterius clade cavere tuam.
Antlia pendebat de fornice pontis in Albim,
Infortunatam moverat unda sitim.
Subtracturus ego validis sine viribus urnam,
Praeceps immodico pondere victus ii.

---

image: s037

Submersumque avido intorsit me in vortice gurges,
Flebile sufffocans os morientis aqua.
Non secus Ascanii, quam, floriger, amnis in aestu
Herculei, periit, compos amoris, Hylas.
Momentis avidas aliquot suspendere fauces
Inscius, immodicum Tartara ad usque bibi.
Immemor officii non est incuria felix,
Amnis aquas haustum non ibi missus eram.

DIE PASCHATOS Christiani.

Ille resurgenti Christo solennis Euos
Plaustra voluptatum, gaudia mille vehit.
Facta pians aliena Deus trabe pendet ab alta,
Victima terribilem per Styga rupit iter.
Iamque supra vivit vitam: vivemus et ipsi:
Ad tristes animas pertinet iste lepor.
Aura triumphanti gratatur, et omnia rident,

Arbor agit frondes, gramina trudit humus.
Daulias applausu violaria pulchra salutat,
Lumina caeruleus splendor amoena facit.
Mite salutiferi cerebrum mulcetis odores.
Laetitiam facies sensibus illa parit.
Ede voluptatem, si non est illa voluptas,
Unde vigor animis, sensibus unde fluit.
Talibus auguriis Dominus sua festa coronat,
Cum fert ignivomo victor ab hoste pedem.
Salvificum quid credis, io, nos poscere tempus,
Depugnatus agon pro quibus ille fuit.

---

image: s038

IN HYPOCRISIN.

Nomina virtutum Pharisaeus inania cantans,
Summa beatorum iura tenere putat.
Iamque stat aetherea, se iudice, primus in aula,
Ludit et in patrii numinis ille sinu.
At quia nec Christum, neque se cognoscit, et odit
Participem, probitas haud caret ista dolo.
Debita praestamus miseri sine stemmate, sunto
Si qua placere Deo poscis, amicta fide.



AULICO INFELICI.

Si sibi vixisset, fortuna tuta decentis
Otia complexus liberiore manu:
Vincula regnantum neque fulua secutus et arcem,
Ingenio creperas antetulisset opes:
Praedia possessor tot non fortasse teneret,
Turbine praecipiti nec potuisset agi.
Laudis amica quies, damni securaque tanti,
Vita Pericleum continuasset opus.
Aula fidem servare negat, variabile monstrum,
Labitur infirma gratia statque basi.
Vi variante vices rerum, fastigia nutant,
Consistunt medio qui sapuere statu.

IN HORTUM QUENDAM.

Quando redundabat proventibus annua messis,
Iactabatque suus pomifer hortus opes:

---

image: s039

Pendebant quocumque mei de termite fructus,
Nullaque non fesso praebuit herba torum.
Arboreum September ubi populatus honorem est,
Sors avidas infert in mea vota manus.
Cum vernisque decus Sol frondibus afflet ademptum,

Par tamen optatae spes mihi frugis abest.
Quod iuvat hoc adeo non est durabile, nec stat
ulla voluptatis mica tenace gradu.

Ti/ktei doi\ko/ros u(bri/n.

Grande supercilium praebent bona, resque secundas
Subsequitur praegnans ambitione tumor.
Tunc Bellona fero vocat arma virosque beatu:
Tela, penu Martem deficiente, cadunt.

AD AMICUM.

Aeris egens ubi quis lecto male sanus inhaeret,
Praecipua, haud dubium, parte salutis eget.
utraque sustineo, vix haec enormibus ausis,
Herculeae possent exuperare manus.
Vivo tamen vel adhuc: istud si vivere vitam
Dicere, tam misera conditione, licet.

CHRISTUS MORIENS.

Morte Redemptoris mors est absorpta reorum,
Omnibus unius funere vita redit.
Muta reviviscunt obeunte cadavera Christo,
Nemo pius valet, hoc imperitante, mori.



---

image: s040

CORIO DIVI BARTHOLOMAEI.

Haec merito pietas insignia fecit: adempta
Pelle coronatis adnumerabor avis.
Dia salutaris fidei documenta serebam,
Qua tepido Ganges imbrice radit humum.
Quae vero coluit pro numine daemona tellus
Indica, me didicit praesule nosse Deum.
Iussa, feri, tua, Christe, vehens Orator ad aures
Agminis, e rapto tergore vulsus ii.
Haec operum merces: at tu, quod mundus acerbat,
Dulce perennanti, Christe, salute facis.

OCCASIONES PECCANDI fugiendae.

Devitare cupis noxas, loca, tempora vita:
Obscoenum latebram quaerit habere nefas.
Culpa Dei non est, tua quod te crimina perdunt,
Quod tua te perdunt rimina, culpa tua est.
Recta iubet rectum ration: sed praevalet error,
Praecipitesque alio bruta libido rapit.
Si minor est avidis virtus insultibus, ora:
Velle bonum satis est, numina posse dabunt.

INSCRIPTIO POLYANDRII.

Tu quod es, id fuimus: nos quales conspicis, olim
Temporis excurso carcere, talis eris.

---

image: s041

Ossea mors omnes abolet cum nomine fastus,
Spes tamen haec etiam putria membra fovet.

DE TEMPORE.

Tempus ad hoc denis bis iam mihi messibus actis,
Serior autumni terga premebat hiems.
Loeta quid haec solito properat velocior aestas,
Qua fortuna meis rebus amica viget?
Illa quidem passu nescit consistere fixo,
Invidiamne citis mensibus esse rear?

DE ASSENTATORIBUS aulicis.



Hi catuli qui pone gradus sectantur heriles,
Bruta saginatam nata fovere gulam,
Immunes operum se pulvinaribus abdunt,
Carnibus infarcti deliciisque cutem.
At neque nocturnum terrent a limine furem,
Nec rapiunt celerem per iuga celsa capram.
Blanditiis norunt autem mulcere magistros,
Hoc opus, hic praebens aurea colla favor.
At qui saepe feras teneris ab ovilibus arcent,
servantes vigili sedulitate domum:
Quique vel assiduis actant latratibus apros,
Inque Lycaonio rostra cruore linunt:
Ossa vorant, Offisque famem satiantur inentis:
O non villa bonis aula sat aequa viris.

---

image: s042

IN HYNOPHILUM.

Dona soporatis quod det Deus omnia dives,
Legerat, in medios stertit hic ergo dies.

D. PAULI APOSTOLI gloria.

Glorior afflictus: crux experientia reddit
Pectora, crux anima sub patiente viret.
Fisa Deo virtus nusquam frustratur alumnum,
Pendet ab auctoris quatenus ore Dei.
Tu modo (tale piis clementer inurit amator
Stigma) libenter onus ferre memento tuum.

Vulnerat is, medicatur item: detrudit ad Orcum,
Et revehit: miram dux habet ille manum.

DE PINDARI SENTENTIA.

Mos adeo superis sua dispensantibus hic est,
ut duo stent uni pessima iuncta bono.
Haec nequeunt igitur fatui dispendia recte
Ferre, probi vertunt commodiora foras.

CYCLUS ACTIONUM.

Fata rotant operum sortem, sors caeca gubernat
Sanae participes quod rationis agunt.
Casus amat sortem celer, eventumque ministrans,
Nunc huc nunc alio pro levitate ruit.
Corrigit ars casum prudentiaque utilis arti,
Fortunam comitem vis animosa trahit.

---

image: s043

Circulus hic rerum est, deus at mens libera vertit
Sceptrigera caussas in sua iura manu.



VITA POST MORTEM.

Et lethata super post funera spiritus hic est,
Vivit et Elysii qua micat aula poli.
Quod morimur sopor est et pax optata laborum,
Lurida si christi claudimus ora fide.
Res levis est, ubi membra cubant, abrumpere somnos,
Aura strepens oculos evigilare facit.
Res levis est et amica Deo, revocare supinos,
Cum lethea premens occupat ora sopor.
Nitimur exemplis: tumulo data corpora surgunt,
Vitam Christus agit: nos quoque vita manet.

DE ITINERE POETAE.

Effera tempestas 35 Caurus atrocior illa,
Rura sepulturas fundit ab axe nives.
Cana supertegitur tellus glacialibus undis,
Compita cursuris invia facta latent.
Parce tamen, Borea, pauloque benignius urge.
Frigora, tuque minas comprime bruma graves.
Parce pio vati, cui nunc iter instat eundum,
Ne tenero noceat lenta pruina pedi.
Quin si nulla movet studiosi cura Poetae,
Parce poematibus quae vehit ille sinu.
Scripta Redemptori praestant insignia laudum,
Haec, prohibe, ne qua frivolus imber edat.

---

image: s044

Adde quod antiquos invisere tendo sodales,
Scilicet e causis pluribus una iuvet.
Ergo nivalis hiems iram compesce parumper,
Sis bona, servato me, duo corda beas.
Cum tamen optatas sedes, loca grata tenebo,
Nil moror, incumbens et decumana fremas.
Nulla molesta mihi, ne dum mora tanta futura est.
Longa viatori quaelibet hora venit.

IN ITALUM INCIVILEM.

Italia vitulum quidam docuere notari:
Ipsos tu superas rusticitate boves.

DE FAME AD CEREREM.

Diva Ceres, quo tanta redit penuria frugum?
Persephone tibi num rursus adempta tua est?

GRAVE PRINCIPIS dicterium.

Pacta ferire bonum est, et refert faedera pangi:
Icta verecundus rumpere pacta luit.



SPERANDUM ET FERENDUM.

Dura fero, sed spero bonum: tolerantia vincit
Tempore spes altam credula spondet opem.

IN STELLAM MESSIAE.

Ardentes maneat quod nil vulgare cometas,
Ecce Redemptoris nuntia flamma probat.

---

image: s045

Caelitus exortae signat praesagia prolis,
Ad Dominum ducens ex Oriente magos.
Multa dat infantum crudelis milia letho
Raptor, in exilium rex modo natus abit.
Ipse sibi Herodes ferro latus haurit adactum:
Effectus habuit stella caduca graves.

ALCEDONIA.

Cum parit Alcyone, dat bruma quietius aequor,
Antra petunt Euri, fluctus et unda silent.
Sic licet est caelo terram miscere paratus
Cui flagrat assiduis aestibus ira, Sathan:
Lenibus hospitiis Ecclesia tuta fruetur,
ut Domino multum foetificare queat.
Qui brutae procurat avi victumque domumque,
Providus haeredes despiciatne suos?

DE ANGELO PASCHALI.

Ne daret exitio sontes iugulator ad unum
    Angelus, ipse tulit paschatos agnus opem.
Christe tuus, ne nos rapiat vetus anguis ad Orcum,
    Fusus in horrendo sanguis agone facit.
Mors tamen est oris quae nos asportat ab illis,
    In tenebras oculos condere fata iubent:
Horridares, at enim non mors, est transitus idem
    Limen ad aetherei loeticiamque situs.
Lata per hoc barathrum Christi via facta triumpho est,
    Rursus ab inferno qui redivivus iit.

---

image: s046

Is caput est, nos membra, trahet sua viscera sursum,
    Qui Deus imperium corporis huius habet.
Negligat ipse suam, quam gestat in aethere, massam?
    Nec repetat, manibus quod fabricavit opus?
Anguis abest, aedes has praeterit angelus ultor,
    Quam late hic opifer sanguis et agnus agunt.

HORA MORTIS IGNOTA.



Tempora mortales novere novissima primi,
    Metaque vivendi quae stata cuique foret.
Tunc aliquis sepem texens e stramine, dixit:
    Quo mihi, defunctum quod superaret opus?
Numen id advertens, ut posthuma structa supersint,
    Nos ignorata iussit obire die.
Error hic in moles monimentaque saxea raptat,
    Crastine defunctum quos Libitina ciet.

AD AMICUM.

Tecum pauper eram, tecum mea Naenia luxit,
    Communis tenuit, pectus utrumque dolor.
Respiciunt ubi te vultu bona sata sereno,
    In proprio gaudes, absque sodale, sinu.
Nil novitatis habet mos degener ille: sed heus tu,
    Res in amicitia non habet ista locum.

DE CLARA ASSISIA.

Nobilis Assisiam quae protulit Umbria Claram,
    Clarior hac tali reddita cive fuit.

---

image: s047

Tela, facesque piam cum ningeret hostis in urbem,
    Ad Dominium creperas extulit illa preces.
Vota volant alte, penetratque precatio nubes:
    Libera securam patria sensit opem.

Impetrat omne fides, ignaraque ferre repulsam est,
    Quae vocat in dubio firma labore Deum.

PSALMI CXVII. EXPERIENTIA.

Eia age sub caelo Dominum laudate sedentes,
    Versa Deum celebra gens ad utrunque polum.
Numinis est omni clementia tempore vivax,
    Verisonans in nos gratia fine caret.
Laudibus heus decorate Deum, Dominumque tonantem,
    Gentes et populi, qui sola sicca tenent.
In nos stat pietas, in nos miseratio durans
    Eius, et immenso certa valore fides.
Omnigenae gentes, quotquot sub Sole morantur,
    Laudibus et titulis afficiunto Deum.
Ille bonus rectique tenax, dictique fidelis,
    Pacta refor mantem non videt ulla dies.
Voce Deum celebra mundi gens incola vasti,
    Regnantem populi concelebrate Deum.
Mitis hic et verax, idem mansuetus in aevum,
    Nosque super pietas fine modoque caret.
Gentiles Domino praeconia dicite grati,
    Laudet io populi cuncta propago Deum.



---

image: s048

Gratia maior enim, quam nos divina: perennat
    More suo bonitas, et rata dicta facit.
Heus agite, in claras Domini consurgite laudes,
    Ex omni gentes indigenaeque situ.
Verus is, et clemens in nos merita enthea firmat,
    Pacta facit, Domini gratia iuge benum est.
Ite Deum faciles plausu iactare faventem,
    Cum populis gentes quas regio ulla videt.
Tot bona, tot dotes Domini clementia stipans,
    Perpetuo servat nosque datamque fidem.
Ite recensitum Domino praeconia laudum,
    Quos gemino populos Luna sub axe videt.
Gratia celsa Dei est, ultra nos nostraque, servat
    In nos ingenii mite perennis opus.
Magnifice Dominum vectate sonantibus hymnis,
    Edita Caelorum gens ad utramque plagam.
Ille pius, verax, lenis, benefactor ab aevo,
    Et bonus et verax tempus in omne manet.
Hortor io celebrate Deum Dominumque faventes,
    Concio quae duplici strata sub axe iaces.
Ingenii veracis amor et gratia vivax.
    Stat genus in nostrum perpete nixa basi.
Condecorate Deum quaevis Paeane soluto
    Natio cum populis, condecorate Deum.
Pro pietate sua nostri miseretur in aevum:
    Verus et est, qui nos tam patienter amat.

---

image: s049

Laudibus extollat Dominum gens omnis Olympo,
    Quotquot et indigenas integer orbis habet.
Iste Deo grati, cuius nos gratia verax
    Perpetuo verbi mitis honore beat.

DE MUSICA AD SODALES.

Suavis ut inter se vox et modulatio quadrat,
    Sic nos unanimes mentibus esse decet.
Tales angelicis olim meditabimur hymnos
    Coetibus asserti, res placet illa Deo.
Cessant ingenuae tot cum virtutibus artes,
    Musica cum socio perpes amore benum est.

DE PSALMO EXPRESSUM.

Et pastor meus est, et rex meus auctor olympi,
    Terra quid aethereae tota negabis ovi?
Me bonus hic custos in pascua foeta repostum,
    Dulcis abundanti fonte refocat aquae.
Loeta bonis intus grates meditata salit mens,
    Hoc duce trans etiam Tartara salvus eam.



DE PARSIMONIA.

Parcere qui didicit dum rebus abundat, amicam
    Inveniet, quoties exiget usus, opem.

IN POMUM.

Candicat hoc pomum, labemne subesse putares?
    Rosor at in medii pectoris arce latet.

---

image: s050

Quid non deciperent humani cordis abyssi,
    Si teneris vitium fructibus istud mest?

NIMIS ALTA SAPIENS.

Musca petens lychnum pinnas exurit in igni,
    Et miseris agitur trunca strepitque modis.
Ingenium mortale nimis sublimia scrutans,
    Perdit in aetherea robur alacre plaga.
Quae Deus humanae rationis ab arte removit,
    Linque, sat est animis, quo licet ire, vehi.

FERENDO ET SPERANDO.

Fortiter evincit virtus animosa ferendo,
    Quae fortuna bonis cumque noverca parat.
Spero ferens ubi dura movet variabile fatum,
    Dumque fero, spondet spes, modo victor eris.

DE SYRO PHOENISSA.

Ardua res, animis ipsum quis ut aequet Achillea,
    Acria cum tetro bella Sathane geri.
Massa misella sumus: sed enim nil grandius actu,
    Posse repugnantem quam superare Deum.
Mars hic ossa terit, cunctas ea lucta medullas
    Haurit: at exacto vincit agone fides.

EX LINO.

Nescia frustrari spes est: quia cuncta volenti,
    Reddere perfacilis res et amica Deo est.

---

image: s051

IN STURNUM ARISTARCHUM.

Ire levi quaedam, culpas, epigrammata sensu,
    Sturne, vel orba suo plura lepore trahi.
Dispeream si non vehementer es improbus, urgens
    ut parili quaevis musa vigore fluat.
Carmina diversas diversa creantur in horas,
    Ilias hac ipsa laude laborat opus.
Sis bonus ante, legi qui cuncta valentia poscis,
    Da veniam, venia si reprehensor eges.



IACOBO SUO.

Somnia sunt aliquid certe, nec inanis imago,
    Arguit eventu vera reperta fides.
Fluctibus et strepero mihi visus in aequore mergi es,
    O animi grandis pars Iacobe mei.
Visa remensurus, producto mane, sedebam,
    Noctis sollicitum me faciente metu.
Cum Venus interpres sic est affata putantem:
    Totus in immenso mersus amore natat.
Incidit Idalios, Herus ut amator, in aestus,
    At, duce me, saluum protrahet inde pedem.
Dixit: mest instar, suntque aemula somnia veri,
    Saevior est ipsis fluctibus orta salo.

EIDEM AMICO SUAVISSIMO.

---

image: s052

Quare plura libris non insint nomina quaeris,
    Ut quid enim titulis multa virisque vacant?
Ast ego detraxi nomen non versibus ullum:
    Carmina nominibus demo poeta malis.

IN IMITATOREM GESTUUM phil. M.

Simiolos homines imitari velle videmus,
    Mimus et est, habitu qui simulacra ciet.
Vultibus extorques sic tu monimenta Philippi,
    A veris procul at rebus adulter abes.
Ipsi larga manus, quamvis haud ampla supellex:
    Excidit e loculis uncia rara tuis.
Par erat hunc Croesum fieri, te protinus Irum,
    Esse stipem fueras dignus, at ille dare.

ADVERSARIO CLODIO SUO.

Nuper eras puncto procerum damnaius ab omni,
    Lis tua nunc melior perdita iure meo est.
Tamne repentino variat sententia tortu,
    Mutataque reos opprimit aula vice?
An caeromatibus fuluis lita caussa valescit,
    Nostraque non tali magmate picta iacet?
Subiuga muneribus sapientia cedit, manes
    Lucis hebent oculi quos Critobulus habet.
Minos et Rhadamante rogis nolite reverti,
    Saecula non vestris moribus illa vacant.



---

image: s053

AD ADOLESCENTIAM.

Parce puer veneri, si perdis amoribus annos,
    Nulla praeabsumpti gratia floris erit.

FEMINA AVIPERA interfecta.

Vim tempestatis fugitura sub ilice sedi,
    Imbre Notoque graves ingeminante vices.
Omnes iamque minas pluviaeque pericula vito,
    Cum mihi tecta malum cespite terra parit.
Namque pedem tetri conspergine vulneror ictus,
    Meque dat occulto vipera dente neci.
Caelitus impendens haud exhorrescite damnum,
    Pernicies dira pullulat omnis humo.

SCIURUS NAVIGANS.

En super exiguo residens absegmine ligni,
    Navigat obstantes saepe sciurus aquas.
Quodque viris praestant volitantia vela marinis,
    Hoc illi in ventos edita cauda facit.
Ingenium quavis habet arte potentius instar,
    Plus et inerte sagax robore Musa valet.

IN PANURGUM.

Omnia quod noris, iactas, mea: tempora cernam
Cum non auriculas noveris ipse tuas.

---

image: s054

QUAE REDITUM POETAE ad amicos remorentur.

Improba quadrupedes mihi lis innexuit atros,
Hispida qui spina terga comante rigent.
Tergus iners horum fatuos quia respicit ictus,
(Fulmine rex cassis intonat usque minis)
Coepta sine effectu longum me pugna retentat,
Mox tamen oppressi victor agonis eam.

EX RITHMIS VETUSTIS.

Ambigui cupidus novisse, quid alea possit
Martis, in adversos Teutonas hostis eat.
Tuisconidas socios commercia ad obvia posce.
Qui sapis hospitium cautus et arma fuge.
Non ratione vacant animosi climatis ursi,
Ecquis et occursu militis huius ovat?

Finis primi libri.

---

image: s055

MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI CARMINUM Liber Secundus.

AD MUSAS *[gap: Greek word]* .

SALVete multum, nobiles, dium genus,
Sophiae arbitrae, dulces alumnulae artium,
Thaumantidos cum Gratiis amasiae:
Musae Poetarum auspicata numina,
Gaudete, avete amabiles, sacerrimae,
Nostrae unicae Cupidines et asseclae,
Nostrum levamen et malorum oblivio.
Vobis ego relictus et parum valens
Colonus has plicatiles coronulas,
E flosculis ianthinis suaviter
Spirantibus favoris integerrimi
Sisto vades, sub entheis quos hortulis
Aurora virgo praeviusque lucifer,
Rigant subinde guttulis cristallinis:
Isthic ubi recessu amabilissimi
Situs, profana segregantur omnia.
Nedum fera ulla, non pecus pede effero
Zephyritidis sacrata germina atterunt.
Solae choros hic explicant Oreades

---

image: s056

Virgunculae et mixtae napaeis nymphiae.
Apis tamen laboriosa identidem
Mellis sedens Hymettii succum legit,
Acanthis et pernox Aedon accinunt
Tinnitibus, vel quos Apolle comprobet.
Haec ergo laureatulae Parnassides
Suspensa carpitote serta, candidae
Coniunctionis arrhabonem et symbolum.
Dignisque porro pauperis clientuli
Conatibus favete, mox sodalibus
Ferte huc pedes cum Gratiis, vestro est opus
Mihi favore, et atticis leporibus.
Sic nexiles amar anthinis odoribus
Vobis coronae ex aureis dependeant
Semper tholis: hyacinthinaque purpura.
Phoebo favente, si December ingruat,
Ederis, marino rore perfruamini,
Laurive bacca, ni vetet septentrio.
Adeste divae, gratiarum amasiae,
Sociae venustatis, poetarum asseclae.
Adeste: vos gaudens alumnus invocat.



DE CARMINIBUS SUIS.

Castra secuturus Tritonidos apta rogavi,
    Quaeque verecundus carmina censor amet.
Annuerat: sed et aspersos dum castrat amores
    Virgo, Cupidineum propulit omne libris.

---

image: s057

Quo Veneres, inquit, si casta precatibus urges?
    Inde Venus totum rara venustat opus.

DE DIVO PETRO APOSTOLO.

Stat pietas invicta Petri, spectataque virtus,
    Rebus in angustis promptaque cura mori.
Stant alia heroem testantia, candor amicus,
    Iunctaque cum sancta simplicitate fides.
Nec dubia est eius constantia, flaminis auram
    ut grege cum socio caelitus ille bibit.
In cruce par animus, plantis ad sidera versis
    Carnisici, plenus numine, figar, ait.
Christus in hunc orbem Deus aethere venit ab alte,
    Is mihi quo portam morte paravit, eo.
Talis erat tantusque: pium tamen ante magistrum
    Nosse, metu lethi, perfida lingua negat.
Est ah est miserae carni confidere vanum,
    Cum minime credas improba massa labat.
Omnia sunt christi donum, facit enthea fortes
    Gratia, de nobis nil nisi culpa scatet.

FUGA MESSIAE IN Aegyptum.

Bethla negat cunas proprio ingratissima regi,
Persequitur gladiis membra tenella Salem .
Quid faceret? patriae licet ille salutifer adsit,
Suscipit ad gentes exul amicus iter.

---

image: s058

Huc pie Christe veni, peramabilis hospes, apud nos
Hospitium verbo perge parare tuo.
Pauperis officii neve aversatus honorem,
Nos placidi vultus agnitione bea.
Censeat indignos umbrisque sequacibus aequet
Gens tua, tu vernas nos face, quaeso tuos.

PASCHA CHRISTIANUM.

Pascha fide et calamo loeti celebremus et agnum.
Sanguine palantes ille redemit oves.
Praepete pugnarunt et mors et vita duello.
Vita ferae morti cedere visa fuit.
Ecce sator vitae praecelsa per omnia regnans,
Victrici statuit parta trophaea manu.
Clangat to poean, namque haec victoria nostra est,
Vincla gerit Sathan, perdidit Orcus acum.
Ante pedes mors icta iacet, procul este pavores,
Celsa triumphatis hostibus, astra patent.

LINI VETERIS POETAE.

[gap: Greek words]
[gap: Greek words]

Fas animo quiduis sperare, quod omne volenti
Efficere et facilis res et amica Deo est.

SPES AD CHRISTUM.

Sors inimica premit, dubia est fortuna dierum
Multa molesta pios exsuperanda manent.

---

image: s059

Mille vices tua per solacia vincere fas est.
Christe, secundatam sed citus affer opem.

DE SS. INTERCESSIONE apud Deum P.

Non haec esse potest non intercessio felix,
Cum pro sonte, Deo supplicat ipse Deus.

MAGORUM STELLA.

Stella, prius visam quam nulla notaverat aetas
    Dux ab Achemenio provehit orbe magos.
Gens ignara Dei, densisque oscura tenebris
    Lucis ad augurium luce recente venit.
Muneribus sobolemque Dei, cunasque Salutat,
    Thure Deum, regem fulua moneta colit.
Quid tamen et myrrhae lacrimas miscetis amarae?
    Vota sepulturae corpora tingit odor.
Noxa mori nos dira facit: quae vivere debent.
    Vivunt promeritis, Christe puelle, tuis.
Nam, genus admissi quem non maculaverat ullum,
    Ipse reos, fuso sanguine, sponsor emis.
Scripturae faculam nostris in mentibus adfla,
    Erret ab his cunis ne male certa fides.

DE HEZECHIA AEGROTANTE.

Clauditur haud ullis divina potentia metis
    Fata domat, quamvis imperiosa Deus.

---

image: s060



Numina parcarum superans, adamantina sunto,
    Regis ut Hebraei lustra revecta probant.
Aeger in extremo profugae discrimine lucis
    Hezechias, Orco iamque propinquus erat.
Non spes auxilii, nec erat super aura alutis,
    Cum miser ad calidas vertitur ille preces.
Fletibus ora fluunt, aegerrima corda querelis,
    Ah nimis ah subito praeteriisse dies.
Dumque ita conceptis aedes vagitibus opplens.
    Mente repraesentat vota citura Deum.
Audiit omnipotens, quid enim praesentius illo?
    Cernit ubi veram praevaluisse fidem.
Summa terens aetas, et meta reductilis ultra
    Vitaque ter quinis messibus aucta redit.
Machina solaris cum gnomone versa retrorsum,
    Quamvis indicium transiliisset abit.
Discite luciferis sancte, dum vivimus uti,
    Concessi Deus ut temporis acta probet.
Ille dies aevi praecidere, stamine rupto,
    Ille potest annos addere, quando libet.

SERA POENITENTIA.

Abiurat placito turpem cum crimine vitam
    Magdala, natalis nomine dicta soli.
Et cum posset adhuc magis indulgere cupitis,
    Cauta libidinibus praebuit illa modum.
Qui dum cesset amor Veneris resipiscere differt,
    Deseritur vitiis lassus ab ipse suis.

---

image: s061

QUAE A DIIS PETENDA.

Qui pius ampla Deum praeclaraque munera poscit,
Et bona, si quae sunt inferiora, feret.
Vilibus haerentem voti sententia compos
ut sequitur, pretio nobiliore caret.
Exemplo venit iste Phrygum ditissimus: atqui
Auriculas asini signa pudenda gerit.
Rex Solomon, melior quod erat solertia cordi,
Quae petiit, cunctis dotibus aucta tulit.
Discite caelestem Sophiam disquirere primum,
Haec secum reliquas gratia vectat opes.
Cetera, que tanti sunt hoc tempore, spernas:
Sic Croesos animis exuperare petes.

VALENTINI ENGELHARTI Mathematici Epitaphium.

Sidera, dum vixit. suspexit euntia supra,
Aemulus ingenii Lathmie dive tui.
Mortuus aetherios metitur arundine tractus
Sub pedibus numerans astra polique vices,
Et quod Atlanteae norat commercia molis,
Hospes ad angelicum cognitus agmen iit.
Felices, si qui capita immersere supernis,
Huc iter est, secum cetera mundus habet.



EPITAPHIUM ERPHORDIA. *[gap: Greek words]*

Sub hac quiescunt mole, (res miraculi

---

image: s062

Instar,) pater cum prole, fratre cum suo
Germana consepulta, cumque coniuge
Coniux: duplex tantum anima, corpus unicum.

IN LINGUAM.

Massa carens acie, mera spongia, quis putet? ictu
Vulnera ceu ferro cruda secante facit.

IN TEMPLIS QUID facit aurum.

Plasmata, divorum facies, idola, Medusae,
Grandiaque exiguis corpora mixta diis,
Mercis in expositae morem longo agmine prostant,
Luce coronatos irradiantque tholos.
Nempe Ioves isti si non altaria servent,
Vanus erat diae relligionis honor.
Explicat hoc habitu graciles, sua ludicra pupas,
Gestit et in proprio parua puella sinu.
Nulla superstitio est ritus servare vetustos,
Inquis, et haec nostros res imitatur avos.
Numen in idolis ergo veneraris, an aurum?
Non veteres aurum, sed coluere deos.

Sit tibi tota precor divum farrago saluti,
At mihi massa domi fulua, vel absque diis,

POETA DE SE IPSO.

Floris odorati me iuvit spiritus olim
Suaviter, et violae totus amator eram.

---

image: s063

Ridebant oculis mentes, vaga flumina nostris,
Hortus amoenarum fruge refertus opum.
Vina voluptatem pariebant mitia gustu,
utile delicium tangere pulchra fuit.
Musica mulcebat cupidas concentibus aures,
Artifici placuit barbitos icta manu.
Nulla capit maestos nunc oblectatio sensus,
Nulla virescentum purpura, nullus odor.
Taedet adire situs si quos laudavimus ante,
Cum salibus iubeo mille valere iocos.
Non quod amabilium cessarit gratia rerum,
Mens bona, iucundis quae capiatur, abest.



CUR MORI OPTET, ad amicum.

Quaeris, ut ex auris demi vitalibus optem,
Quolibet ac terras deservisse die.
Tene salutiferae coeperunt taedia lucis,
Curriculique piget loeta par antis? ais:
Omnes in numerum vitam producere quaerunt,
Saecula si liceat continuare, parum est.
Ast ego nec longes mihi posco recursibus annos,
Fata nec auguriis multiplicare precor.
Gaudia sunt animis hinc emigrare, pigrasque
Damno, quibus iubeor ducere lustra, moras.
Cura subit lustrare situs aulamque beati
Aetheris, ingeniis convenit ille meis.

---

image: s064

Iillic prisca sides, illic venerabile dictu
Nomen amicitiae, turbaque mitis agit.
Huc propero: nam saecla malis cum morilus odi,
Quodque premit, subito deservisse iuvat.
Candida simplicitas, res intermortua terris,
Me sursumque Deo credulus ordo ciet.

VIRTUS VERBA DIVINI.

Esse professorem verbi manantis Olympo,
Ipse Prophetarum nuncupat auter onus.
Et vere: sed idem praestat docterilus usum
Quem testudinei cochlea vermis habet.
Pondus iners tergo gestat domiporta, sed istud

Tegmina dat cunctis confugiumque malis.
Vis inimica foris cum perstrepit, abditur intro,
Inque cavi tuto fornicis aede latet.
Sic etiam verbi quamvis fera sarcina pressat,
Non sinit adversa clade perire suos.
Est et in hoc ipso quaedam periisse voluptas,
His quibus in verbo vivere dulce fuit.
Huic flagrante fide qui se committere gliscit,
Non peritat, quamvis saecula strage ruant.

XYLOE FONTICULUS Francofurdianus.

Huius ut in scatebra lapidescunt omnia fontis,
Sic in pectoribus facta benigna malis.

---

image: s065

IN ASTROLOGUM.

Fata remetitur recubans in carcere quidam,
Cardani miser et grande revotuit opus.
Nempe futurorum quae sit fortuna dierum,
Et quae praeteritum culpa tulisset onus.
Stulte molestorum caussas quid quaeris in astris?
Te levitas vinclis ingluviesque dedit.

IN QUENDAM.

Cum mihi fortunae vultus experta serenos
Vita secundata conditione meat:
Cum valeo vigeoque, gravi tunc ore severus
Tristia contractae nubila frontis alis.
Res ubi consiliis ruit adversaria, rides,
Promptus acerbatos adservisse sales.
Lusibus inventis et tecto scommate pungens,
Quam bene sudavit noster Abelus, ais.
Sime bonus dubito, vocitet licet aula benignum,
Virtutis certe mos habet iste nihil.

DOMINUS MORTIFICAT et vivificat.

Dia rotat vicibus natura potentibus orbem,
Tempora nec simili versa tenore meant.
Nunc ovat apricis formosa leporibus aestas,
Blanda colorato flore nitescit humus,

---

image: s066

Bruma gelu glacieque solum nunc horrida claudit,
Nulla pruinoso germina rure virent.
Non tamen ut natas radicitus enecet herbas,
Frigida mutato sidere squalet hiems.

Rursus ad arrisum veris, sed planta, resumptis
Viribus, ut sursum reiuvenilis eat.
Haec mundo facies: Eadem variatio sanctos
Imperium Domino mirificante, regit.
Trudit ad infernum veris quos motibus ardet,
Gratorumque sibi pectora morte domat.
Nec tamen ut pereant, potius virtute recepta,
ut repetant ortu splendidiore iubar.
Ira Dei letho damnatos tradit, at illex
Gratia nos habitu vivificante beat.
Sic violas per agros vestigia pandere vidi,
Quas niveus Boreae presser at ante rigor.
Haec caelo via fert, hae sors inventa beandi est,
Pullulat ex ipsa vivida morte salus.

VITA EX OBITU.

Viventes sua fata vocant, morimurque creati,
Haec nos perpetuo regula iure trahit.
Corda sed inverso Deus ordine sancta gubernat,
Morte domat, si quos vita beata manet.
Plena revertendi si spes in morte refulget,
Cetera quis tergo non patiente ferat?
Qui iubet e lethi latebris procedere vitam,
usque feret, tantum non dubitemus opem.



---

image: s067

Dura vehi crux est, eadem medicina salutis,
Ipse pios sepelit, vivificatque Deus.

CASTRA ET URSI, IMAGO.

Qua Deus illustri figit tentoria verbo,
Protinus huc daemon lustra domumque struit.
Horrificas Christique feras in ovilia mittit,
ut lacerent miseras, si quis aberret, oves.
Arcet at immanes Christi qui sepibus ursos,
Praemia larga Deo distribuente feret.

DE FRAGIS.

Invidit natura bonum mortalibus: en ut
Tecta sub inverso vimine fraga latent.

AD AMICUM.

Tanta sit unde mihi, quaeris, tolerantia verum,
Quas fortuna gravi mole noverca parit.
Accipe: qui numquam successu fretus amoeno,
Pertulit angustas impiger usque vices:
Nec dolet adversis, nec eum contraria tangunt,
Nempe quod ignotae nulla cupido rei est.
Invida cui rectos gressus natura negavit,
Lenius obtorto claudicat ilie pede.

Loripedem vero quem fors iniuria fecit,
Huic movet immodici noxa doloris onus.
Sic me perpetuo sors intempesta fatigat,
Cura nec est fieri, quod mihi fata negant.

---

image: s068

Me quoque si quondam fors aequa benignus afflet,
Nescio blanditam qua ratione feram.

IN PRINCIPIUM ANNI LXXXVII.

Annus hic iudiciis damnatus et omine pridem
Multiplici, clarum proserit ecce iubar.
Incipiunt taciti fastis accedere menses,
Temporaque in seriem lubricus orbis agit.
Mens ignara sui, neque certa quid Hesperus in stans
Portet, ab ambigua sorte futura docet.
Quorum sed melior sententia sederit orant,
Annus ut auguriis ille secundet iter.
Fruge salutari pubens ecclesia crescat,
Palma velut dura nescia mole premi.
Vana superstitio metas et tempora scribit,
Procinctu pietas prompta stat usque bono.



CUR SERIA TANTUM tractet.

Ludicra me pridem iucundus carmina lector
Poscit, et o quando gaudia promis? ait.
Cum curis lacrimas et tot suspiria longum
Trivimus, et tinctos in pietate pedes.
At me nota suo gravitas abscedere campo,
Dum stat inexcurso carcere meta, vetat.
Paulatim tamen a sacris heroas adortus,
Qui divum chorus est proximus, ore veham.

---

image: s069

Inde serenatos animis modulatus amicos,
Certo verecundis plectra vibrare iocis.
Non tamen ut quisquam per me sua crimina discat.
Neu reprehensoris nomina doctus amo.
Forsitan et totis olim cantata libellis,
Gazula subtractam barbiton arte feret.
Nunc opus hoc gravitas pietati donat habendum,
Haud probat argutas illa vel illa sales.

IN IMAGINEM TRANSFIGURATIONIS Christi.

Sicut inardescit Phoebi radiantis obortu
Mundus, et immenso flagrat in orbe dies:
Luce repentina Christi perfusa coruscat
Sic facies, rutilus fulgor ab cremicat.
Candor obit vestes nitidae Thaumantidos, aut qui

Sole repercussae cernitur esse nivis.
Gloria corpus adhuc aliquid mortale reservans,
Clarius Eoi luminis igne facit.
Membra beatorum post fata novissima quondam
Accipient quantum vivificata iubar?
Cum nos alloquio dignabitur entheus heros,
Qui gerit humani plasmatis ora Deus.
Fas erit aetherios niti conscensibus orbes,
Inque colorata figere nube gradus.
Mosis et Eliae socios fratresque vocari,
Longaque cum sanctis pacta ferire morae.

---

image: s070

Tempus io salve, sine fine manebimus illis,
Haec vitae statio denique, terra vale.

BEATAE RANZOVIAE tumulus.

Circumvolantis hic in orbis ambitu
Dici beatus, ante flebilis rogi,
Si iura quisquam debeat mortalium,
Felicitatis atque cristulas suae
Communis ultra fortis edere aleam:
Haec se beatam nomine et re femina
Iactare nullo obstante debuisset: en
Ortu paterni sanguinis tanta et domo
Sestedia, qua notior virtute non
Stirps uspiam. Sed et beata nuptiis
Ranzoviani stemmatis, clarissimis
Quae se vehens ausis Olympo, tractibus
Latis triumphat. Quin beatam dixeris
Foetu secundante: hic honor suavissimus
Matrum decusque. vidit armatis genus
Florere laudibus suum, vidit potens
Quaecumque vitam redderent dulcissimam.
Toto beatam ex asse: ni mors invida
Beatitatem destruens viventium,
Dici beatos ante funeris graves
Vetet vices. sed o beatam, quae fide
Christi pie fervens beatitudinem
Veram superne quaeritavit, his bonis



---

image: s071

Inanibus spretis, quibus florens tamen,
Nuper beata dicier si fors meret,
Quid obstat, ut sit ipsa nunc beatitas?

EIDEM EPITAPHIUM.

Laude domus patriae, celsaeque propaginis ortu,
Clara toro, partu deinde beata virum:
Denique nunc animis altaque beata triumphat

Sede, beatorum nempe recepta choris-
Est aliquid, dici vita felice beatam,
At pietas, obitu nil remorante, beat.

IN MAECENATEM NOMINE.

Dum moror et quae sit spes, quae fortuna reviso,
Addictoque tibi musa canore vacat:
Emolumenta meres gravitate recentia felix,
Principe dante recens et tibi crescit honor.
At non interea me sors proventibus auget,
Sed tonat afflictis rebus ubique minax.
Ipsaque nos adeo virtus insultibus angit,
Pro nimiaque malum simplicitate lucror.
Ingenii mecum vis enervata fathiscit,
Vena minutatim carpitur ante ferax.
Si tamen auguriis fors afflet amicior Eurus,
Sumeret antiquam Calliopeia chelyn.
Cantatura viros, qui, fortunante poeta,
Conscia victurae nomina laudis ament.

---

image: s072



DE PLUVIA ET ALBIS ELUVIONE sub Divi Imp. Maximiliani II. ingressum Dresdam.

Cesaris adventu loetata, sed obvia Iuno
Lilia cum non fas promere, prompsit aquas.
Dumque pluit Veneris mensi convitia dicens,
Quid mea gratandi vota moraris? ait.
Albis id aspiciens, undis cito laxat habenas,
Atque ita: non omni vis mea iure caret.
Hinc ea temperies et aquoso nubilus aether
Rore, sed a divis non nisi fausta fluunt.

DE VICISSITUDINE AERIS repentina eodem die.

Caerula tempestas, Austri variabilis humor
Delicet augustum Caesar ut intrat opus.
Laxat divolitans se nymbus in aera, pulso
Imbre, vehit liquidum purior aura diem.
Aetherei tractus cui gratificantur, amicum
Esse Iovi dubitas semideumque genus?

NATALIS POETAE.

Lux iterum genitalis adest: date serta poetae
Chlorides, Aurorae sacra merumque paro.
Lumine si fave at Titan, fore dixit aruspex,
Prosper et incolumis totus ut annus eat.
Currat io sine labe dies, abscedite Cori,
Nullus hyperboreo nymbus ab axe fluat.

image: s073

Dum loquor emicuit Phaebi temone sereno
    Currus, et haud ulla nube premuntur equi.
I, puer, accitum (gaudent natalia plausu:)
    Qui Genio mecum liba sciphosque sacrent.
Plena coronatis ponamus pocula mensis,
    Ruga iuvat si quem frontis, abesse iube

AD DIVUM IMP. RUDOLPHUM II. opt max.

Me tua maiestas (quis enim me numina divum
    Ante queri, tanto nota favore vetet?)
Fronde coronatum laurus, equitemque vocari
    Fecit, et illustris nomen habere viri.
En pedes ingredior, nec, praeter nomina, quicquam
    Concessitueor, per tua iussa, boni.
Musis ante comes forsan non ultimus: at nunc
    Vix traho lassatos debilitate pedes.
Fac equitem, Caesar, quem pingis equestribus armis,
    Ne grave Pleridum destiamus iter.

IN NOMEN IMPERATORIS.



Diae numen Opis, Consi laudabile numen,
    Nomina Romuleis nota fuere sacris.
Arbiter imperii quo se nunc tollit Olympo,
    Auxilii titulum consiliique gerit.
Nomen amas, Caesar, specimen virtutis avitae
    Pingit, at imperium nominis omen amat.

---

image: s074

IN AQUILAM IMPERIALEM.

Imperii volucrem, Austriacaeque insignia stirpis
    Cernis in hortensi progenerata solo.
Omnia Daedalio finxit manus aemula cultro,
    Picturae faciem buxus et artis habet.
Crescetis buxi, pariter domus inclita cresces,
    Nulla, precor, foliis insidietur hiems.
usque monarchigenae generaturique monarchas
    Hinc genus, haud serie desiciente, trahent.
Nobilis e vegeta sed enim sit tibia buxo,
    Qua vehitur soboles Aemiliana polo.
Omen inest rebus: sine carmine gloria manca est,
    Carmine perpetuo, buxus ut alta, viret.

DE LUPO ET IMPERATRICE.

Nunc instante lupus lethi formidine velox,
    Sectantum trepidans ora canumque minas,
Fugit ad heroum tentoria: Caesar ibidem

Cumque monarchigenis inclita mater erat.
Caussa stat in promptu, cum res accisa laborat,
Spesque cadit, fas tunc sollicitare deos.

TYPUS ACTIONUM mundi.

Lusibus hic hilarant hymeneia: plangitur illhic:
Haec solet in mundo fabula semper agi.

---

image: s075

MUNERIS COMMENDATIO.

His Xeniis mentes advertite, quaeso, benignas,
Vilia sunt, amor at candidus illa dedit.
Pingit adornatis sua dona coloribus auctor,
ut bene stent aliquo complaceantque modo.
Iuppiter in caelis animum, non munera censet,
Thuraque non pretio, sed pietate valent.

FRAGORUM INSCRIPTIO.



Repit humi scriptor, repunt hoc tempore musae,
Quale rubens humili consita bacca solo.
Fraga iuvant pueros, melius date germen ephebe
Numina, quae Clariae frondis amore colo.

IN CANCRUM.

Qui fluvios et humum perreptat in aere et uluam,
Retrogradus fati cancer imago mei est.
Casibus innumeris regina volubilis urget,
Quoque fatigatum frivola iactat, eo.
Cum vultus mutata bonos advertere debet,
More cataphracti piscis hiulca labat.

STRENA LUDICRA.

En sine veste sedens arcto cytharistria labro,
Tractat Arionii carminis arte fides.
Sensibus affectis stimulos infigere curat,
Seu quia dulce canit, seu quia nuda canit.

---

image: s076

TORMENTI BELLICI symbolum.

Pondo globos istis siphonibus urget, adacto
Martius in turmas cum tonat igne furor.

Terra tremit, reboant aurae, cadit ampla virum vis:
Gratior est illi musica nulla Deo.

DE AURORA AD S. Caes. Maiest.

Oscula Leucotheae capio radiantis et ortus
Mane, coronigeris vatibus illa favet.
ut mihi liberior pateat suspectus Eoi,
Fulua fenestratae cassidis ora facit.
Caesaris auspiciis, quo lux illustrior afflat,
Ingenii tanto largius uber agit.

IN TILIAM DRESDENSEM.

Haectilia assurgens alto quae vertice sursum
Certat contiguae culmen adire domus,
Aedibus his fixo dulcem mihi praestitit usum,
Obvia et est oculos saepe morata meos.
Sive quod immodicos umbra intersepiit aestus,
Sive quod argutas semine pavit aves.
Seu quia iucundos e termite sparsit odores,
In florem quoties induit ampla comas.
Veris et autumni distinguit temporaverax
Nuntia, proiectis frondibus instat hiems.



---

image: s077

Pro quibas officiis, si nomine tangeris ullo,
Id pretium grati carminis, arbor, habe.

DUORUM E LECTORUM PRINCIPIUM liberis Sponsis.

Saxonis, excelsae radicis amabile germen,
Ruta Palatinas nectitur inter opes.
Eximios alta de stirpe datura nepotes,
Quos vigor in priscae nomina laudis agat.
Sicut odoratae quondam virtutis alumnus,
Flos alienigeno rure videtur ali.
Sic, frons o generosa, novis inolescere campis
Incipe, neu patriae spem remorare domus,
Tuque opibus, Princeps, et tali coniuge felix
Macte, propagari nobile semen amat.

IN EASDEM NUPTIAS.

Misnias heroina ratem cum solveret, Albis
Dicitur antiquum proripuisse caput.
Virgine conspecta, quo formosissima, plausit,
Quo cum filiolo, mater, Amore natas?
Dignus honor venia, culpam levis effugit error,
Si quis semideam credidit esse deam.

EPITHALAMION AMICO factum.

Soluitur acris hiems et vis intensa remittit,
Rura Venus liquida spargit aprica nive.

---

image: s078

Iri sensit enim sibi debita sacra paratum,
Propter idem properat diminuisse gelu.
Ne gracilenta reses vitiet corpuscula torpor,
Quando novi lusum poscet amoris Hymen.
Novit item thalamo cur bruma sit utilis, ergo
Iussit ab aurora tardius ire diem.
Vescere connubio felix et foedere, pro quo
Solliciti curas diique deaeque gerunt.

PRINCIPIS HYMENAEUS.

Nocte pluit verna, festum Sol mane serenat,
Filius Augusti quo sacra sponsus adit.
Respicit augustam sobolem Deus auctor amoris,
Eius ad arbitrium Phoebus et imber eunt.

IN HORTUM CAESARIUM quem Phasianorum vocant.



Haec decora, haec altis suffulta palatia saxis,
Hortus et Hesperidum qui paradison olet.
Eximias ostentat opes, hic Caesare dignum
Surgit opus, properant ad nova regna dii.
Huc amplo Pomona sinu, commentor Iacchus
Vitis, et Oebalii numina floris eunt.
Vallibus ex Idae generosum mater Amorem,
Vitea qua tergo procubat umbra, ciet.
Iamque rosis violisque ederas bicoloribus aptans,
Lilia myrteto stare propinqua probat.
Primulus hic ardor, Daphne Peneia, Phoebi,
Thisbeique cruor testis amoris agit.

---

image: s079

Delicium dixi: sed et alta silentia miror
Nullane Dauliadas vox imitatur aves?
Caerula Callirhoe, quid adhuc es lenta? sorores
Huc age, Parnassi quas Chorus hospes amat.
Mole theatrorum duplici vox icta resultu,
Reddat aedonium Threiciumque melos.
Ite susurrantes, et erit Tempea voluptas,
Digna monarchigeno Caesare, digna diis.
Perfecti saliunt, musa faciente, lepores,
Gaudia, si careant carmine, muta rear.

ANNUS INTERITUS LUDOVICI R. Pannoniae.

Infaustis revocat quod iusta in praelia Turcas
Alitibus, iuvenis rex Ludovicus obit.

IN PICTURAM LEPORUM.

Venatoris agunt lepores, pavida agmina, partes,
    Vexantes miseris arma virumque modis.
Publica sic quoties evertunt iura tyranni,
    In populi casses praeda coquenda cadunt.

ZACHARIAE PRANTELIO Austriaco, de corolla ex foliis laurinis et cariophyllorum floribus.

Quam mihi Caesareo Sambucus nomine finxit
    Laureolam ex hortis, alta Vienna, tuis,

---

image: s080

Arbiter imperii quosque ipse probavit honores,
    Hos natalitia tu mihi Luce novas.
Gaudiaque in memorem revocas bonus indole sensum,
    Si qua super viridi fronde Poeta tuli.
Zacharia iuvenis laus exemplumque modesti,
    Qui genus, ingenii, grandius artefacis.
Grata tua est pietas et mens mihi, ferreus essem.
    Ni tam conspicui missa favoris amem.
Sic te laude beent Heliconia serta perenni,
    Sic decus e studiis loetus alacre metas:
Gratus ut amplector mirorque ita stemmate pingi
    Daphneis rosei floris aroma comis.
Macte coloratae ambrosio conspergine frondes,
    Tuque futurorum conscia laurus ave.
Si mea fors aliquid modulamina ludicra possunt.
    Vives versiculis nota corolla meis.
Vivat io tecum tam pulchri muneris auter,
    Et quicumque mei lumen honoris amant.
Livoreat pessum devotus, et ilia rumpat,
    Qui mea transverso serta dolore videt.



EIUSDEM SYMBOLUM. Dominus providebit.

Prospiciunt homines alte quandoque futuris,
    Erratio nil non ante perita movet.
Usque sed humani fallit sollertia sensus,
    Quae Domino fiunt prospiciente, valent.

---

image: s081

Ille bonus vero casus provisor in omnes,
    Maxima spes, ubi non providet ille, perit.

IN ACINACEM TURCICUM a Dn. Henrico Nicardo sibi donatum.

En, quo Turca ferox est usus acinace nuper,
    Pacificas Christi mactet ut hostis oves,
Hoc ego proque fide, fideique sequacibus utar,

Cum fortes pietas coget in arma viros.
Casus interea mihi praeservatur in omnes
Pignus amicitiae, care Nicarde, tuae.

IN ZIGETI A TURCIS OCCUPATI picturam.

Nobile castellum, Marti domus hospita, dudum
Pannonici columen praesidiumque situs:
Devictum quoque te, sed inhumanissimus hostis
Non virtute sua, proditione tenet.
Imperium vili solatur imagine damnum,
Nobis munitio est haec quoque facta minax.
O iterum saluete subacta, iterumque valete
Rudera, tuque pio fossa cruore satur
Qua Mahometigenae martis formido Serinus,
Totque pares animis occubuere viri.
Tempora conspiciam, socias cum Buda cohortes
Thracigeni contra militis arma dabit.
Constantinopoli virtus Alemana trophaeum
Constituet, Christum Turcia tota colet.

---

image: s082



Tu modo stare loco Pannon invicte memento,
Non haec ima tuae portio laudis erit.

IN TRITONEM MICH, HASLOBII Poetae clar.

Se probat Haslobius vena praedivite vatem,
Cum canit illustres, clarus et ipse, viros.
Pelignaeque diu cytharae commenta professos
Provocat, ingenii celsa petentis ope.
Invida sors arti fremit hoc decus esse tributum,
Impulsoque, viri, turbine vela quatit.
Nitens at speculae dorso Neptunius, inflat
Cum testudineae sistra canora chelis:
Nymborum media spem nocte serenat, et iri
Post hyemem, spondet, tempora clara datum.
Augurio hoc animum firmans, atque omine loetus
Scriptor, Arionium fortius urget ebur.
Perpetui dignis usuram nominis addens:
Hanc laudem geniti, Marchia, vatis habes.

AD D. HUGONEM BLOTIUM I. C. bibliothecae Caesar: praefectum Viennae.

Horatiani rusticum poematis
Tranquilliorisque aemulum vitae, et suae
Fortunae amantem, scriptor, en Bloti, tibi
Recentiore veste amictum dedico:
Facunde Bloti, et o modis multis supra
(Examinare si libet sortem tuam)

---

image: s083

Horatianum praedicandus rusticum.
Te mitis ille suave dissertantium
Coronat ordo virginum, quas Pegasis
Enutrit unda, Gratiae circumsident:
Musisque par pudore matrimonium
Sese novenis implicat. Deus forem,
Si talis unquam me voluptas ambiat.
Unum deest, deesse nec diu precor,
Qui ludat, et patrem vocare pusio
Te discat, osula inter et matris iocos.
Bloti, beate ceteris rebus, vale.

IN FORMOSUM INGENIO carentem.

Tu nisi progeniem traheres e stirpibus amplis,
Ex ipsa facie nobilitandus eras.
Sint tibi tela, faces, sint arma Cupidinis arcus,
Matris Acidaliae susciperere sinu.
Ingenii sed enim dispar fortuna figurae est:
Omnia sic aliquo sunt bona manca loco.

MARGARITAE SCHOLASTICAE tumulus.



Margaris in viridi primaevi flore vigoris
Moribus et studiis lecta puella iacet.
Nupsit amans, uterumque tulit, foetuque solutam
Parca ciet, vix dum verterat annus iter.

---

image: s084

Corpus obiniecta, ceu nobilis unio, gleba
Dormit, apud superos flammula perpes agit.

DE CONVIVIO TURBATO.

Hospes eram Salomes convivatricis amicae,
Iam stabat dapibus coena parata suis.
Cum fera seditio foris intonat impete claro:
Ignis edit Galli maximus ignis opes.
Dirigui attonitus, tum lux invisa coruscat,
Proximus est domui perditus iste meae.
Unam non potui tranquillus ducere noctem,
Gaudia quot turbas, Pan odiose, modis?

IN EDERARUM PICTURAM.

Hoc decus, hos viridi pendentes fronde corymbos
Bacche, tuis sacrat fama vetusta comis.
Germen honorandis dat idem sua serta poetis,
Nempe tuo afflati numine loeta canunt.
usque vigent ederae, Bacchi viget usque iuventus,
Famaque perpetuae laudis amica viret.
Flexilis at fulcris retinentibus indiget arbor,
Sic animat musas ingeniumque favor.

IN MORUM.

More, tuus sanguis, tua bacca uberrima succi
Tinxit obinfectas quam mihi saepe manus?
Flagrantemque sitim virtute levavit et aestus,
Quos stomacho peperit Syria flamma meo.

---

image: s085

Esse nec auxilium sensi praesentius ullum,
Non mihi Bacchus opem Callirhoeve tulit.
Saepe saporatos per saccara larga liquores,
Pharmacaque, effectu nil operante, bibi.
Qualis hiulcabat tostos canis aestifer agros,
Feruida pulmones haud secus aura meos.
More tibi grates, dum vita manebit in aevum,
Pro tam salvifico munere semper agam.
Si quis et hos gravido franget nimis impete ramos,
Huic precor assiduam quae coquat ora sitim.

ROSAE ABRAHAMI Bigeri.



Haud facies, haud illa rosae est, quam patribus hortis
Carpit inaurata verna puella manu.
Hos Charites per terga serunt Heliconia flores,
Unde coronari vel Venus ipsa petit.
Pallas amica suo decus hoc concessit alumno,
Virtus immemorem quem vetat esse deae.

ALAE SUPER GALEAM eiusdem.

Icariam super hac neque casside conspicis alam,
Qua, miser, amissa, nobilitavit aquas.
Iuppiter Iliaden Idae rapturus ab antris,
Isthoc remigio desuper actus iit.
Alta petit summi Iovis ales, et aethera tranat,
Altius ingenio nulla volucris abit.

---

image: s086

EPITAPHIUM DN. CHRISTIANO Comiti ab Oldenburgo, etc. iam olim iussu Elector Sax. Augusti, etc. scriptum Dresdae.

Oldenburga dedit cui nomina gentis et ortum,
Praeditus eximia nobilitate comes,
Dignus avis atavisque, tenet tellure propinquae
Sacratae recubans in crucis aede, rogum.
Iamque tot aestates iuvenilis abegerat aevi,
Quot novies ternae constituere vices.
Nomen is illustri pietate professus et ausu,
Mutua cum superis restituenda forent:
Flamina legavit Christo vitalia gaudens,

Corda salutiferam plenus et ora fidem.
Lucis adhuc inter proceres statione receptus,
Arguit excelsa strenuitate genus.
Et, quod in heroum censetur amabile natis,
Moribus et placida fronte benignus erat.
Ingenii documenta boni graviora daturus,
Excitus e vivis ni foret ante diem.
Indolis egregiae princeps Augustus amator,
Non sine conspicuo iusta dolore tulit.
Affectus monimenta sui de marmore molem
Hoc generatores constituere loco.
Ne, decus, annorum caries arrodere tantum
Ausit: honestari nobile funus amant.

---

image: s087

IN CALEND. AUGUSTI.

Caesaris Augusti veteres rediere Calendae,
Augustique simul Principis aula redit.
Civibus o princeps accede secundus et urbi,
Nos vultusque bea laetus honore tui.
Caesaris Augusti sortes feliciter aequans,
Sic supera, votis usque potite tuis.
Ipse refulgescat quoque te dominante, renascens,
Quem dedit Augusto, virgo, regente, parens.



GENIUS MOMI INTERFECTOR.

Enectura putrem Genii vis enthea Momum,
Non gladium, graphii strinxit alacris acum.
Pendulus in calamo Genium carpebat alastor,
Atque adeo in proprio vulnere Momus erat:
Nempe quod haud thalamum thoracis acumine recto,
Foderit obliquo sed diaphragma stylo.
Tu tamen aeternum transixus in aera pendes,
Meque (refert Genius) conficiente peris.

DE ABSTEMIO QUODAM erudito.

Cum puer in lucem tumida proiectus ab aluo,
Anatalitia sorde lavandus erat:
Fontis Acidalii volucrem Lucina ministram
Miserat allatum, quas adoleret, aquas.
Aut secus audierat, seu fors errore viarum,
Haec adit Arcadiam, Clitoriumque refert.

---

image: s088

Nescia sumit aquas, puerum deaque abluit illis,
Manat et offusi sparsus in ora liquor.
Pallas id advertit, vitioque attenta mederi,

Castalio totum mersit in amne caput.
Verum Clitorii virtus abstemia mansit,
Fortior est primus qui linit ora sapor.
Hinc calet ingenio placidas operator in artes,
Hausta sed exosus vitea, gaudet aquis.

INSIGNIBUS CAROLI Nucelii Norici.

Lilia patriciae quae fers insignia stirpis,
Tripla sodalicium, corda colore notant.

DE CONIUGIO PARUM auspicato.

Fallitur et fallit dum nubit Adorula Ruffo,
Nec thalami gaudent ille vel illa bonis.
Semicapro, rata sponsa virum, lasciva iugatur,
Falsis decipitur spebus amator opum.
Acta luunt merito, si quos fiducia rerum
Frivola, vel nuptum spurca libido trahit.

DOMINUS SUBIUGUS.

Princeps immerito, non rite quod imperet, audit:
Recturus melius, ni regeretur, erat.



CHRISTOPHORI HOLSENI Cons. Caesar. symbolum.

---

image: s089

Mortalem sibi poscat opem, qui caelica nescit,
Vana salus hominum: spes pia freta Deo est.

AD HOSPITEM DE vino absynthite.

Ne mihi miscueris absynthia dulcibus uvis,
Quae proprio vigeant musta sapore, bibam.

INSIGNIBUS NICOLAI Reichelii Secret. Imp.

Celsa leonino virtus ardore triumphat,
Falciferoque metit robore laudis opes.
Omnis inevictum pectus fortuna requirit,
Magnanimamque iuvat vel Deus ipse manum.

SYMBOLUM EIUSDEM, Deo volente, volo.

Velle cuique suum placet: at valet illa voluntas
Tantum, quae didicit velle volente Deo.

MARGARITAE SYNAPIAE epitaphium.

Exiguum siliquae granum (dixere sinapi:)
Gnava suburbanae villica mandat humo.
Imbribus alternent soles et solibus imbres,
Arboris in formam luxuriabit olus.
Tincta Redemptoris, sic, rore Sinapia proles,
Semen operturo nobile putret agro.

---

image: s090

In cinerem redigente situ sata: corpus oportet
Quam frugem Domino fecerit, ante seri.
Et quod erat muni nondum serpente veneno,
Tacta, sed educi mollis et apta polo:
Ista flebilium de tempestate dierum
Transtulit hanc, hortis adservitque Deus.
Huc ubi sollicito Christus plantaria cultu
Nutrit ut assiduo postea vere beet.
Hic pietate sua, quaque exstitit indole vivens,
Et fidei fruitur casta puella bonis.
Cum Sol iustitiae tacitis se ostenderit herbis,
Prodere mollis apex incipietque comam:
Margaris irrigui modo fossa sub aggere sulci,
Iucundi radium reddet odoris hero.
Dilectosque prius complexa patentibus ulnis,
Ibit ad empyrei germina pulchra situs.
Ni quis Atlanteos infantis imagine tractus
Occupat, aethereis finibus exul aget.

DE AMICITIA.

Fas optare foret, votorum scilicet haec sit
Summa, nec in vitium desipientis eam.
Degere felicem seu me bona fata iubebunt,
Seu vitae misera conditione frui:
Semper amicitiae mihi copia detur, amico
Tum mala, tum vitae commoda, teste, feram.
Gaudeat is mecum, rebus tristetur in arctis:
O ego tale quoto pignore pectus amem.

---

image: s091

Id mihi sit fului massa pretiosius auri,
Id mihi sit gemma Perside nobilius.
Hoc voveo: Pyladi sumque ipse futurus Orestes,
Dispeream. si non candida musa mea est.

DUCI SABAUDIAE.

Emanuel Philiberte diu virtutibus, heros,
Macte esto: stabili subdita pace bea.

IN AMICUM DEGENEREM.

Ipse parum pulchrae te turris in aede repostum,
    Cum poenas lueret lingua proterva suas,
Visere sustinui, quamvis mihi gressibus impar,
    Et levior tua sors esset honore meo.
Nun tamen, infamis cum me plagiarius urgens
    Turpiter in proprii fornicis arce tenet:
Immemor in caussa me non invisis honesta,
    Et procul a merito gratia vilis abest.
Dulce fuit nostri officium cognoscere zeli,
    Et memini lacrimis non caruisse genas.
Fallor? amicitiae benefacta admittere noras,
    Non fert ingenii, reddere, cura tui.

DE BRUMA AD Apollinem.

Ter decies mihi fluxit hiems, tot abegimus aestus,
    Et toties in se tortilis annus iit.

---

image: s092

Brumaque cum veniat mihi parte molestior omni,
    Non ista gravior protulit ulla pedem.
Nubila densantur spisso deformia caelo,
    Turbiduli repunt et sine Sole dies.
utque putris tetra fuligine fluctuat aer,
    Temperies animo talis inerte premit.
Stat vapor et cerebri teneros obnubilat ignes,
    Ingenii virtus alta petentis hebet.
Phoebe Deus vatum, quem musica nostra moratur,
    Quo sine nil dignum Pieris ipsa parit.
Phaebe refer gressus, haec nubila maesta serenans,
    Curriculoque caput solstitiale nova.



HOSPITI MIXTA APponenti.

Da mera vina, sumus Germana stirpe: quid ipsas
    Perdis aquas vino, vinaque perdis aqua?

ALA CUM ROSIS IN trigono.

Claudit inaequali quod calle triangulus alam,
    Tres sibi florentes implicuitque rosas:
Res praesaga boni est, alte quae surgere debent,
    Ingenii studio fertilioris egent.
Haec adeo felix solertia dicitur, intra
    Si qua manet metas officiosa suas.

DE DOMITIANO Imper. Rom.

---

image: s093

Domesticum stylis domans acutulis
Volatile Imperator otiosus, en
Muscas leves, alastor, et sacerrimam
Fidem professor Christiani nominis
Discrimine uno habebat, impio pias
Letho crucique destinans immaniter,
Furia ciente: sed nec improbabile
Delere muscarum genus strepentium,
Infestiore puniens aculeo:
Nec Christianum vulgus, efferissimis
Ut instat undiquaque torsionibus,
Valet domare carnifex, domitum fera
Lethi figura et inferis datum, sua
Fide beati martyres considerant,
ut fusus angat, urat, excoquat cruor
Veru subactum candicante, ut interim
Culex, asilus, Oestron, et Vespae ubere
Globo coactae, subulis identidem
Acuminatis ingruant graves cuti
Exulceratae: iugis haec tragoedia est.
Astat Megaera, voce crimen aggerans:
En ille, muscis qui pios aequaverat
Regnator, hac muscis luit, sed hac piis.
I nunc iniqua caede gloriam para.



DE ADOLPHO HELVONE.

Mortuus agnatos ne quo ditaret Adolphus,
Ipse suis haeres maluit esse bonis.

---

image: s094

Dum tamen hoc nimum velociter urget opus vi,
Omnibus absumtis, ipse superstes eget.
Has patiturque cruces, sed non miserabilis ulli:
Iustius invidia nil, quia poena sibi est.

DE DOCTORE EXCRUMENA.

Cuncta potest aurum, felix cui contigit, ille
Et genus et titulos ingeniosus erit.
Nobilis est doctorque simul rudis iste Boaeus,
Coctor erat, fuluo ni gravis aere foret.
Quaerat opes cuicumque licet, doctrina facessat,
Compede Iunonis vincta Minerva iacet.

LUCAE COCCEII HALECENS. I. C. viri apud Dresdenses Consular. tumulus.

Optima quaeque prius rapit inclementia fati,
Succedunt adeo deteriora bonis
Luxit in hoc Lucas, ceu lucida gemma, senatu,
Iustitia, studiis, relligione, fide.
Mens inculpatae gravitatis idonea cultrix,
Ingenium purae dexteritatis amans.

Aemulus in tantum priscae virtutis, ut illi
Nomina Romuleae nobilitatis erant.
Artibus atque operis puer innutritus honestis,
Imbiberat iuvenis iura, vir illa dedit.
Urbs ubicumque suis se moenibus ambit, et ultra
Consilii testes experientis habet.

---

image: s095

Publica res felix, ipse retinente tribunal,
Exstitit, audita est nulla querela foro.
Vir sapiens commune bonum est, et ut urbis Apollo,
Confugium populi praesidiumque togae.
Tale decus patriae mors effera sorbuit orae,
Mole sub hac Lucae corpus inane cubat.
Si rata meta senum est orbis centesimus aevi,
Dimidium vitae vixerat ille suae.
Luctus argumenta gravis dominoque patrique
Cum duplici, coniux, prole relicta tulit.
(Infortunatae specimen pietatis) ut olim
Carmina praestantis sint monimenta viri.

TESTUDO *[gap: Greek words]* .



Cara domus, iucunda domus, domus optima rerum,
Te recolo, longum te retinente fruar.
Fatur: at adventu quae propter es ultima, dixit
Iupiter, in dorso tecta laremque vehas.

TRITON HASLOBIANUS.

Haslobius vena praestat se divite Vatem,
Sors hoc ingenis instar inesse fremit.
Ille, velut nitens scopulo Neptunia proles,
Proicit impulsa quod gravat, omne tuba.
Perge, sacer Vates, bona musa perennat in aevum,
Fine suo claudi fata molesta parant.

DE EODEM.

---

image: s096

Eximios meritis proceres et nomine vectum,
A superis Triton Haslobianus adit.
Aoniaque diu cythara calamoque superbis
Egregii, palmam praeripit, arte styli.
Parcite, Phoebus ait, nimium trepiaare sorores,
Nubifugis Triton aequora placat equis.
Spem bonus in media nymborum nocte serenans,
Stabimus, ut tenebris ipse laboret Atlas.
Sors fremit incassum: vos laurea nectite Vati
Serta, procellifugum pulcher ut inflet ebur.

IN *[gap: Greek words]* HELIOGABALUM.

Humana suetus exsecare viscera,
Futura divinator inde ut disceret,
Extispicinae dirus auctor absonae,
Excretionis in putrem voraginem
Abiectus, augur inspicit luti fibras
Olentis: hoc dignum sepulturae genus
Regnantibus debetur impie pium
Qui Christianorum profundunt sanguinem.

PALAE TRANSVERSAE Caspar. Suencofelti.

Biblia triste furens operire parabat Erynniis,
    Dogmata quae sanae relligionis alunt.
Tollere quin etiam studio properabat anili,
    Iustificam vera cum pietate fidem.

---

image: s097

Orsa Silesus eques capit instrumenta laborem,
    Atque Deam tanto fasce levemus, ait.
Et merito, nam quos chartae serventur in usus,
    In quibus est, nisi si vana litura, nihil?
Spiritus est doctor, non littera numinis expers,
    Mortaline Deus creditur ore loqui?
Fossor hic e dia tellure ligonibus istis,
    Vulsit abundantis spem segetemque boni.
Frugiferos veluti verres evertere sulcos.
    Nare solet radix sicubi vesca latet.
Vinea servantis Christi quae sanguine pinguet,
    Praeda, viro vites depopulante, iacet.
Has operae testes, atque haec insignia rerum
    Fert, Acheronteo nobilitante choro.
Nempe quod Eumenides timuere, viriliter ausus,
    Salvificum marris contumulavit opus.



DE ARBORIBUS LOCO motis.

Mutasse rumor autumat pomos locum,
Terra erutas, et stare nunc situ novo,
Nullo movente: quid? quid ergo rebimur
Migrationis huius et miraculi
Caussam esse? numquid audierunt Orpheae
Amphionemue concinentes? an sacris
Mutae, silentibus, loquentur arbores?

AD AMICUM INVIDENTEM.

---

image: s098

Ubertate moram mihi fata faventia pensant,
Sera sub autumnum tempora Veris ago.
Te memorant in nos ideo transversa tueri,
Tamque repentinas indoluisse vices.
At non, quando tuli, quae non vastissimus Atlas
Sustinet, Herculeo robore, maestus eras.
Sed tibi digna pati, nec dum satis aequa videbar:
Tunc cum luctisono plangere tempus erat.
Non bonus est qui loeta dolens hilarescit acerbis,
Hoc miseri proprium daemonis esse putant.

IN SIMILEM FELICITAtis iactatorem.

Dum queror adverso super, hei, lamenta profundens
Sidere, perpetuo quod mihi saevit atrox:
Tu memorae meras contra, tua gaudia, gerras,
Transactos pergis loeticiaque, dies.
ut tua percurrat convivia crebra voluptas,
utque per hortenses delicieris agros.
ut per odoriferos hilarans Floralia campos
Cum nymphis soleas instituisse choros.
Asper at ista crucem iactantia frivola nobis,
Et quasi sim tali fulmine dignus ais.
Perge, nec invideo: fatis florentibus uti,
Dum licet, o nullas experiare vices.
Ne tamen insultare velis contraria passo,
Fortunam potius convenienter habe.



---

image: s099

Nostra malis mens est nunc assuefacta ferendis,
Et quasuis didici pertolerare cruces.
Vincere at ancipitem post loeta negotia sortem,
Martis hic eximii casus et artis eget.

DE PINDARIS SENTENTIA.

Sic nempe mentes improbae mortalium
Ad fraudulenta proniores sunt lucra
Laudanda, quam laudare ius, fas et Themin,
At interim repunt ad asperum diem
Simul citatae, quae dies lucris modum
Poenamque poenitudinemque dulcium
Rerum vehet, decurticans licentiam
Luxumque. Liberaliorum ferias
Examen acre terminat: cum futilis
Cessat voluptas, longus imminet dolor.

IN AEMULUM.

Quod penetres aulas et splendida limina regum,
Unde metit nitidas cultor opimus opes,
Diceris haec propter nostris illudere musis,
Quas humili virtus conditione premit.
Nos aliquid tenui dedimus statione reposti,

Tu nihil in tanto grandis honore paris.
Scripta, face, ingenium prodant exerta, patescet
Sortis, an Aoniae te beet artis honor.

---

image: s100

AMICO DEFICIENTI.

Tu locupletari vigilans es totus in illo,
Res tibi sufficiens ut sit et ampla domi.
Artis amator ego nervis huc tendo profusis
Orbis ad antipodes ut mihi nomen eat.
Vatis at officio cupis usque licenter abuti,
Non licet hoc: opibus non fruor ipse tuis.

EPICEDII COMMENDATIO.

Non tantum calamos pietas in gaudia stringit,
Sed pius est etiam funera flere labor.
Praecipue vatum numeros meruere disertos,
Optima qui patriae consuluere suae.
usibus humanis quos si rapit invida Clotho,
Publica res merito signa doloris alit.
Non cadit absque feris succisa fragoribus arbor,
Vir bonus ingenti non sine clade ruit.



Finis secundi libri.

---

image: s101

MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI CARMINUM Liber Tertius.

DE ADOLESCENTE NAIVO.

O Quicumque resuscitationem
Telluris gremio reconditorum
Obstipae rationis impotenti
Impugnatis acumine, aut futuram
Lente creditis, huc adeste, et aegram
Confirmate fidem fideliore
Exemplo, redeuntis e barathro
Lethi, lucis ad halitum supernae.
Christo funereum ciente corpus.
En quem sandapila modo efferebant,
Tumbae pulueribus sub integendum,
Deserto, viden, ambulat pheretro:
Vivax, incolumis redintegerque
Iam matrem alloquitur, levatque fletus
Luctu laetitiaque temperatos:
Et victos obitus libenter audit,
Se passumque mali nihil renarrat.
Eia res hilarante digna plausu, et

Laeti pectoris approbatione.

---

image: s102

Qui de carcere nigricantis Orci
Vinclis ex adamantinis reportans
Luci restituit rigentem ephebum:
Vivit celsus et imperat per aevum.
Et nos haud aliter beatiori
Vitae mancipat ac perennitati.
Nam morti dominaturae Sathanae
Haud quoquam manus imminuta Christi est,
Aeque cum Patre gloria fruentis.

THOMAS INCREDULUS.

Vanom quid mihi fabulam tribules,
Quid comes mulieroulae resertis?
Nugis nata propago disserendis,
Ventosasque iterare vanitates:
Palmas, crura latusque perforatum
Celsaque in trabe mortuum, sepultumque
Ad vivos remeasse, luce vesci,
Tres quam luciferos reliquit ante:
Et vos corpore visitasse vero.
Fallit frivola fama falliturque
Vanam quid mihi fabulam refertis?
Quae vos ductat opimo? quis error?
Numquid, quem semel occupant avarae
Mortis numina, sustinent reverti?
Ad vitam potuit superstes ipse
Defunctos revocare: caesus autem
Qui se, qui valet expedire letho?

---

image: s103

Hunc vos dicitis ergo suscitatum.
Quod testis mihi nulla, nullus auctor
Veraci indicio probaverit, nec
Praeceps ipse coarguar nimisue
Vanae credulus allocutioni.
Ni se forte resuscitatus ultro
Aspectu manifestus, ore noto,
Claris Visibus offeret legendum:
Ni vestigia dulcis icta vitae
Clavorumque notas, hiansque pectus
Suffragante redofferet sepulcro:
Ni fossas reducis manus pedesque,
Ni fossum pueriliter tueri et
Pertentare latus sagaciore
Attactu datur, haud relata credam.

DE ANGELIS.

Agnosci benefacta dia par est,
Et gratum Deus ipse praemiorum
Largitor, memoremque vult clientem:
Elinguemque malumque iustus odit.
Atqui maxima quaeque continenter
Divorum ferimus benignitate.
E qua congerie, (modo prehendi
Tot fas milia liberalitatis,)
Si dos non tenet una principatum,
Haud certe numeros meretur imos:
Flammis quod Deus entheis, quod illis

---

image: s104

Flammis obsequio sulis, quod et nos
Sanctis excubitoribus, ab ipsis
Aevi inde usque crepundiis tuetur
Conservatque tegitque vindicatque
Obsessos, animatque praeliantes
Adversus (licet infremant averna)
Ardentes Stygii leonis iras,
Et rictus canis inferi, duello
Aeternum quibus, impares, fatigat.
O enorme periculum rapaxque,
Atque omni ratione maius instar.
O et denique cogitatione
Quavis grandius ampliusque numen,
Quo vero sumus imminente salui.
Qualicumque recenseamus ergo
Divos ore pedisse quos, caneris
Tutorem bene gratiis vehentes,
Pro munimine pro favore dulcis
Circum, praesidii, pios manentis.
Observande senex, amice musis,
Os et consilium virentis aulae
Transversos ubi ruta cingit enses,
Hac in parte quod auspices Camenae,
Illae lucti canae, graves Camenae
Affectu pietatis ediderunt,
Votis id tibi nuncupant, rogantes,
ut, si qua vacet, horulae trientem
Sacris lusibus imputes legendis.



---

image: s105

Incedunt humiles: at approbatae,
Current inde citatiore passu.

CALENDIS SEPTEMBRIBUS.

Natales iterum mihi Calendas
Faustus Lucifer, omniumque divum
Formosissima nuntiat, recessu
Eoo iubar aureum citantes.
O dulces mihi nuntii, diesque

Exspectatior omnibus diebus
Quotquot curriculo vehuntur anni.
Optatissima lux, amoena, felix,
Dulcis, blanda, voluptuosa, dives
Ludis, et sale digna Gratiarum:
Exornanda celebritate pulchra,
Musaeoque ioco facetiisque
Et Comi et Genii solutioris.
Eia qualibet auspicata surgens,
Mundum lumine candido serena.
Divos comprecor, usque et usque fatis
Porro prosperioribus recurras.
Neu te lampada mane suscitantem,
Neu summa regione constitutam,
Horis nec quibus immines Ibero,
Turbet nubilus Auster, implicetue
ullis velleribus: serena curras.
Dum vitae fruar irrigantis haustu,

---

image: s106

Et nondum breve licium secabunt
Netrices dominae mihi, quotannis
Versu commemoraberis sonanti.
Et te Gazula flos puellularum,
Flagrans delicium, mea et venustas.
Suspensis genialiter corollis,
Et festo decorabit apparatu
Forrecto quoties nitore surges.



DE ECCLIPSI LUNAE poematis dedicatio.

Lunae deficientis ominosa
Deferrugiae cogitationes
Alterno pede conditas, brevis que
In formam revoluminis coactas
Addictis tibi dedicamus orsis,
Nos Clius famulator et sacerdos.
Non ut te faciant celebriorem,
Qui regnantibus antea probas vit
Laudes consilii eloquentiaeque
Sed lectoris ut aestimationem
Laudato mereantur a patrono.
Nil spretum, triviale nil inersue
Os Poeana sonantium fatigat:
Telam nentibus addidit Camenis
Fulgens Uranie, Thalia pecten.
Fautor nobilis ergo quicquid horum
Pelignae sidis aemulae dederunt,

---

image: s107

Ne, quaeso, Genio faventiore
Dedignare, politiora missis

Dum maturior administret aetas
Sic te dux tuus acrior Quirino,
Ipsis et generosior Camillis,
Fortuna adstipulante, pergat instans
Illustrare novo subinde cultu.

Filonomatei/on.

Hic est ingenuis liber dicatus,
Et constantibus et bonis amicis,
Qui praestent animis pares Oresten,
Qui praestent oporis fideque Achatem.
Nec solo faveant amentque gestu:
Sed vere, sed ab intimis medullis.
Sinceros ego candidus vicissim
Observo, colo, diligo: nec unquam
Vivens e memori movebo sensu.
servans ergo sodalitatis agmen,
Huc huc, o mihi persuave nomen,
Huc sollertia sensa symbolorum,
Et quae fors aliis avitus ardor,
Aut artis veneratio venustae,
Aut martis proprii dedit facultas,
Pulchris pinge coloribus, probatae
Virtutis momenta: sint ut isthaec
Cultae mnemosynon fidelitatis.



---

image: s108

Nil hoc gratius exhibere nobis
O sons ordo, potes, sodalitatis,
Aut blandum magis, aut magis cupitum.

IOANNI MYLLERO PRAGENSI, viro in aula Caes. ampliss.

Myllere, omnibus e meis amicis,
Si quos hic teneo cliens amicos,
Iucundissime, et o modis, in aevum,
Multis, officiis colende multis:
Quo te carmine demerebor? aut quo
Loetus commemorem vehamque versu?
Te, tam divite praeditum Minerva,
Te, tanto ingenii favore, tanta
Flagrantem studiorum alacritate,
Dum mitis Sophiae sacros recessus,
Et mysteria tot scientiarum
Alta indaginis arte perterebras.
Seu quis Socratici putet laboris
Thesauros, vel Apollinis nepotum:
Aut, qui res diuturnitate donant,
Doctos historas, aut putet Poetas.
Seu quid relligio parens salutis,
Imos abdidit in sinus librorum.
Illis omnibus implicas acumen,
Dium, nobile, perspicax acumen.
Nil industria praeterit: remotum

Vestigare beatitudo summa est.

---

image: s109

Nostrae delicium sodalitatis
Myllere, arbiter omnium leporum,
Lususque auctor et artifex iocosi:
Te voces hilarante, suscitatae
Atendunt Heliconides, alumnum
Et talem sibi gratulantur ultro.
Narrantis loca, gesta, nationes,
Certatim eneres ab ore pendent,
Germanae Veneres Ibericaeque,
Et quas Ausonis ora consecravit.
O laus deliciumque Zechidarum,
Altum nescio quid mihi, quid ingens
De te mens tacite ominatur intus,
Te, quem lingua culta perbeatum,
Es facundia Laeliana reddit:
Te vel seria diluente lusu;
Aut te ludicra serio vicissim
Dissertante, rigor Catonianus,
Aut si quis gravior Catoniano est,
Vultum se explicat in sereniorem.
Te solerte, fides manu canoras
Exercente, Cupidines videmus
Motos ad numerum ciere saltus.
Saltat Daulias obstrepitque loetum,
Quamvis bruma Favonios moratur.
Et quotcumque virum venustiorum est,
Divinam Venerem solet precari,
Plures ut sibi largiatur aures.



---

image: s110

Festivum genus, o amoenitatem,
Myllere arbiter artifexque et auctor
Quotquot sunt adeo facetiarum,
Quas vel Pollio censor approbaret:
Tecum vivere detur ac morari,
Inter discubitus tot elegantum
Virtute et sapientia virorum,
Quis candor vitii latentis expers,
Et doctrina sacrae magistra mentis
Motus stirpitus hausit asperatos.
O fortuna bonis noverca, an unquam
Tales, tam venerabiles amicos
Fas, inter requietis expetitae
Successus, erit arido Poetae
Ad caelum memori vocare versu?
Quo me diva rotatilis redactum
Conculcas? satis est satis malorum.
Atqui lenius ista sustinemus.
Myllere altor amoris expetiti,
Te dum perfruor atque amoenioris

Consuetudine amoribusque caetus,
Me dulci vacuum tenente Musa.

AD DOCT. ANDREAM EBERSDORFFERUM medicum, et Dn. Augustinum a Lidlau, viros nobiles pariter ac ol.

Praedulces animae, vetustioris

---

image: s111

Cultrices animae fidelitatis
Ebersdorffe, decus tuae Viennae,
Tuque o gemmula patriae Lideli,
O ipsa mihi luce cariores,
Quam blandis capio sequens ocellis,
O multum venerabiles amici:
Unis ergo animis loeoque iuncti
Quid tandem facitis, duo expetitae
Exemplar geniale caritatis?
Si Polluce valetis auspicato,
Ecquid vatis adhuc Abelis olim
Consuetudo medullulis superstes
Convictusque recurrit, inque sontes
Lusus atque dati iocis lepores?
An caris modo visibus remoti
Nostri mentio prorsus obsolevit?
Nec quisquam memor interim, canentis
Pro vita Philotesium Poetae
Aut haustum bibit, aut precatur unquam,
Exultantibus interesse coenis?
Coenis; quas nive delibuta virtus,
Quas concordia dia gratiarum,
Quas castae Veneris comes venustas
Stipat mellis et Attici magistrae.
O mi lautitiis Apicianis
Mensas, o mihi regio apparatu,
Vel quem Claudius instruit, vel isthaec
Quae regina voravit uniones,



---

image: s112

Longe delicias amoeniores.
At non, o peramabiles amici
Atque ipsa mihi luce dulciores,
At non sic animo, reor, sacratam
Vos expungere pristini sodalis
(ut distet regione,) mentionem.
Qui vos, quolibet ingruente fato,
Aut quemcumque ciebitur sub axem,
Et porro colit, et colet per aevum:
Vestros nec lepidissimos amores,
Gratis mentibus emovebit unquam.
Sed desiderio frequentiore
Ad vivum vehet usque et usque sensum.
Condimenta triennii laborum

Convictusque salesque liberales,
Et tot seria temperata lusu,
Inter candidiora margaritae
Baccis pectora et Indicis lapillis:
Quae virtus modo rarior repertu est,
Quam aut Phoenix avis, albicansue cornix.
Quem tu iure vocaveris beatum,
Si non illa beatitudo vitae est?
O par conveniens et auspicatum,
Theseoque ligata continenter
Nexu corda fideque comprobata,
Ebersdorffe decus tuae Viennae,
Tuque o gemmula patriae Lideli:
Livor rumpere, conspicatus isthaec

---

image: s113

Exemplaria gloriosa morum,
Morum, non Eris ipsa quos prehendat,
Nec Momus, licet haud amicus ulli.
Non hos acta vicissitudo nexus,
Non acerrima dissuet vetustas,
Quamvis saxa vorans et obrigentis
Armamenta minaciora ferri.
Virtus quem parat est per ennis ardor.
Ergo deliciae meae et voluptas,
Et vos dimidium mei, vel auris
Quas baec vita reciprocat, priores,
Ebersdorffe secutor Aesculapii,
Et sincere Lideli, amoena corda,
Ergo vivite, candidisque longum
Indulgete favoribus vicissim,
Facundisque leporibus, tot horas
Indulgete, quot opto congregatis,
Aut quot post operas perinsuaves
Vobiscum placitae suavitati
Alternare licenter assolebam.
Et tunc, quamlibet Albidos sereni
Ripas, Eridanive Sequanaeve,
Aut quodcumque latus soli colentem
Me porrecto aliquis salutet haustu
Loetus cum valida precatione,
Infelix ut amoribus Poeta
Posthac denique perfruar secundis.
Casu dispeream parum secundo.

---

image: s114

Si non vos et amabo et osculabor,
Isthoc officio pereleganti.
Sic vos ad libitum cadente voto,
eventis beet usque et usque faustis
Adspirans Deus, et benigna Iuno.
Omnis sic tibi, comprecor, Lideli,
Totis evolet undiquaque membris
Qui neruos dolor angit, urget, exest,

Dulcisque articulos medela firmet.
Et te prole venustula superbum
Reddat Iuditha pervenusta coniux.
Vivat docta manus, diuque succos
(Ebersdorffi) vel Aesculapidarum
Felix aemula, misceat salubres:
Et tormenta satellitesque lethi
Qui latum per inane divolantes
Nunc hos nunc alios cito trucidant.
Profliget genio secundiore.
Sic te praeses Apollo pharmacorum
Nutu dirigat obsequente, laeto
Augustos tibi conferens honores,
Quales vel Podalirio, vel ipsi
Post tot saecula; Paeoni ministrat.
Sic te Barbarula, illa semidivo
Vultu, blandula, perfaceta proles,
Oblectetque patrem, Deumque plures
Germanosque sororculasque poscat.
Sic ergo superate mi, vetustae

---

image: s115



Cultrices animae fidelitatis.
Ebersdorffe tuae decus Viennae, et
Pulchrae gemmula patriae Lideli.

AD AMICUM.

Fortunae bona spemque dignitatum,
Et quae fors alo vota promovendi,
Non tam nomine dicis impediri
ullo, quam fidei professione.
Invisae fidei potentibus; quod
Lutero genitore ducat ortus,
A natalibus orbis universi
Quo non grandius exstitit catharma,
Et magnas mihi polliceris ultro
Procurator opes et auspicatos
Successus ad amabiles bonorum,
Sublimesque gradus: inaniorem
Tantum relligionis innovatae
Patrem cum titulo negare discam,
Et missam genibus probare flexis:
Quod factu facilis levisque res sit.
At nec res facilis nec illa factu
Momentive levis mihi videtur.
Nec tam me titulus patris Luteri
Quam doctrina movet, probata claris
Atque ingentibus undiquaque signis.
Hanc ipsa mihi cum tepente lactis

---

image: s116

Gutta mulsit in os benigna nutrix.

Hanc cunas memini sonare circum,
Hanc cum litterulis et alphabeto,
Incautus puer imbibi, dem mox
Doctrinae genus illud apprehendi
Praeceptoribus oppido probatis.
Et nunc octo mihi virilitatis
Currunt ordine lustra, grandis aetas,
Haec mysteria dum tenax alumnus
Consensu colo, multifariamque
Usue experior per expolitos,
Quod sint consona veritatis almae.
Tot vitae mihi lustra fidus auctor
Si spondere potes, novam probandi
Doctrinae faciem recentioris,
Nec dum cognita dogmata imperito
Ignaroque mihi: sit ut reverti
Fas impune, diuque desuetos
Versa mente, recuperare mores,
Et damnare nothos amore veri.
Quod si me potes haud beare voto,
Nec praest are quod optione posco,
De me pergito cuncta suspicari,
Et quicquid libet imputare noxae,
Praeter quam fidei negationem
Tot quam messibus integram tuemur.



---

image: s117

CAROLO UTENHOVIO DOM. Nilandiae: V. illust. et P.

Laudatissima gentis Utenhovi
Lux et nobilium decus virorum,
Quotquot Pleridum frequente cultu,
Per sacraria nota divagamur.
Salue, magne Poeta, plurimumque
Salue versiculis: nec, ut Poetam
Ignotum, quoque sic velis salutem
Ignorare senex phalaeciorum.
Est inter Clarios amicus ardor,
Est iucunda necessitudo vates.
Complexuque novem tenace divae
ut concorditer invicem cohaerent,
Sic nos ingeniis: coagulandi
Praebent materiam diserta scripta:
Quamvis climate dissiti feramur.
Perlectis igitur, vir o Camenis
Dilectissime et o colende vates,
Qua nos Calliopeia feriatos
Stagni cis vada Balthici moratur,
Illis litterulis tuis disertis,
Limatisque perelegantibusque,
Eliam quibus intimum meorum
Alte subuehis, ac licentioris
Venae indagine luculenter ornas,

Laudator bonus, approbante fama:

---

image: s118

Illam iudicii sagacitatem
Mirati sumus oppide, quod ipsis
Mox ex unguibus aestimes leonem.
Et qui talia nunc virentis aevi
Felix ingenio profundit, illum
Censes advigilante post Minerva,
Anni dum modo suppetant, daturum
In elaram vel acutiora lucem,
Et quae plus sapient olivitatis.
Et certe faciet flagrante motu,
Et coarti sici favente musa:
Nec vis deficit expetita: quamvis
Solis illae probantur eruditis:
Indoctos opus istud omne fallit,
Aut in ridiculos rapit cachinnos.
Ignorata quis aera concupiscat?
Aut pressam pede curet unionem?
At quos iudicii potens acumen
Recta luce beavit intus, illi
Pernoscunt, venerantur, expetuntque
Laudatos iuvenis pii labores,
Pro gymnasmata, lucubrationes,
Et quas Palladis arte linguarum
Pro tyronibus institutiones
Orbi candidus edit universo:
Et compendia monstrat imperitae
Pubi, qua peragrare nigricantes
Fas sit trans aditus vetustiorum,



---

image: s119

Per vestigia trita; per recessus
Dextro limite lucis, unde multos
Arcet perniciosa difficultas.
Gnarus dux comitem bonum secundat.
Nec confert minus ille disciplinis,
Qui cursus docet expeditiores
Informes remoras locis revolvens
Quam qui squallida senciteta fossor
averruncat et improba securi
Stirpes indigenas solo revellit
Aut qui fonticulos siticulosis
Illimes facit expiatque sordes,
Sordes torpiculas et insalubres
Eia discipuli favete quae so
Monstratoribus hisce gratulantes,
Auctorique precemmi salutem:
Qui, si quid bonus extudit, latebras
Non abscondidit in tenebricosas.
In commune sed omnibus profundit
Virtus non sibi, ceteris laborat.

Haec inventa manuque ductiones
Si quis non prius abdicata spernit,
Quam cognoverit ipsa, sed peritus
Res examine pensat acriore,
Quae nam musa cubi sit implicati,
Aut quae musa cubi sit explicati,
Quid crux, quid facies triangularis,
Et quid forma globi rotunda signet:

---

image: s120

Illum denique remur eruditum,
Fictumque ingeniosiore limo.
Insunt in numeris et in figuris
Tot mysteria, quot reductat olim
Herbarum species amoena Veris
Tempestas: adeoque abundat illis
Scripturae sapiens abyssus eius
Flatus quam sacer indidit Prophetis,
Hic sed commemorare sudor esset.
Tu qui lumine perspicace tendis
Quo non est penetrare fas profanis,
Commentumque cubi recentioris
Illustrare seniliter laboras:
Et primos rudibus vocabulorum
Confluxus, elementaque ipsa pergis
Commonstrare: quid o quid instituto
Aut hoc utilius magisue pulchrum,
Aut laudabilius potest moveri?
Certe nomina rebus indidisse
Consentanea viribus sativis,
Haec vis diva, Deo simillimisque
Tantum competit, artifexque summus
Talis Socratico Lari videtur.
Et quod proprietas originalis
In tot iam tabulas dirempta vulgo
Tot discriminibusque partibusque
Quot Thebis perhibent fuisse portas,
Aut quot fluminibus natatur Ister,



---

image: s121

Indulgenter adulterata differt,
Ingentis pretium meretur ausi,
Quisquis numine concitatiore
Huc vires animi vocat calentis,
ut confusio dira linguarum,
Haec stribligoque torua barbarorum
Consensu meliore corrigatur,
Fontes exiliantque puriores,
Praestans unde diu bibit vetustas:
Nec sit de lacubus parum probatis
Restinguenda sitis fideliorum.
Haec tu cum genio sat auspicato
Laus o ampla sagatium virorum,
Praestes, perge, precor, nec uspiam ie

A coepto patiaris amoveri:
Sed feruens opus incitator urge,
Et ecum stadio pares eodem
Felix officiis iuvare iunctis
Contendas, operaque Theseaea.
Sic te laus operosa consequetur,
Et te fama faventiore plausu
Divulgabit ad extimos Britannos:
ultra quam, licet inclitae, iuventae
Sese laurea gloriosa tollit,
Aut sors stemmatis Utenhoviani:
Quamvis attigerit nitore nubes.

---

image: s122

AD DN. ELIAM HutTErum Sponsum.

Qui te, dulcis amice, qui ligato
Captum pectore detinent amores?
Quis menti Deus imperat subactae? an
Diones puer implicavit ignes
Captivo tibi? non: sed hinc et isthinc
Abscedant Veneres Cupidinesque,
Et castae minus et parum severae:
Dum sanctae Veneres Cupidinesque
Castum pectus, et enthei calores
Invasere pudiciore flamma,
Flamma quam Deus ipse suscitavit,
Nexus legitimi auctor et ereator.
Quid blandum magis aut magis venustum?
Quae sub sole suavior voluptas?
Quam sic cum socia fideliore
Sortis cum socia bonae malaeque
Lusus inter et osculationes,
Aevi praepetis attigisse calcum.
Sic omnes liceat vices dierum
Mi percurrere, sic, vocante fato,
Lassos frigidulo gemens ocellos
Uxor comprimat, et vocet supremum.
O sic o Genio auspicatiori
Indulge bonus, et datae puellae
Raptim milia multa basiorum



---

image: s123

Et quot non series prehendat unquam,
Conger, ordine, lege, more nullo.
Nec te res magis uspiam moretur.
Sic te, conspicui status amoenum
Curas inter amabiles, beabit
Pax optata, salusque amica pacis.
Non lis, tabificum tori venenum,
Non discordia macerabit annos,

Annos prolificos et elegantes.
Caeli gratia praepotentis ultro
Multa prole domum, bonisque multis
Fortunabit et usque et usque loetis
Lenem coniugibus vehet iuventam.

ISMAELIS FABRICII tumulus.

Graiis notus identidem Latinis
Musis, notior Ismael Ebraeis.
Tristi Fabricius, parumque digno
Lucem liquit agone: dum canalem
Quae glandes iaculatur ignet tortas
Hei, incautius usitando tractat.
Res invisa, modisque inauspicata
Multis arma: periisset o, flagrante
Haec qui protulit auctor ex averno.
Graiis illacrimandus et Latinis
Musis ergo, Sioniisque Musis
(Hei iactura) iaces: tacetque tecum

---

image: s124



Docti vena poematis creatrix,
Docti Iuppiter, et sat edolati,
Seu Varus legat aut Homeromastyx.
At non divitis atque perpoliti
Sic laus ingenii iacet, fereris
Olim versiculis superstes, aevi
Famae traditus a sioniis et
Graiis et Latiis simul Camenis.

AD D. IOHANNEM SAMBUCUM Pannonium U.Cl.

Quo Sambuce Poeta, magnus histor,
Et vindex decorum vetustiorum,
Interpresque sacrarii Themistos,
Et felix imitator Aesculapii
Quo (nam vix Helicon patebit ultra)
Vectas ingenii potentis alas?
Nec dium retines humo vigorem.
Nil mortale adeo, nihil remissum,
Sed celsa omnia, et enthea et remota
Vis heroica concupiscit, ulla
Ignorans mediocritate claudi.
Sambuce experientium perennis
Laus et delicium et iubar virorum,
Quos haec laude viros coronat aetas,
Et quos postera praedicabit aetas,
Quam late duplici sub axe deget:
Eia perge tuo, Poeta, gyro,

---

image: s125

Perge o continue nova, auspicatis
Ornamenta laboribus mereri.
Gaudent singula singuli tenentes,
Hic histor, mediocris ille vates,
Alter Poeoniae peritus artis:
Hic aevi speciosa pervetusti
Exultat monumenta possidendo:
Cunctos unus et undiquaque vincis,
Dum quosuis tibi vendicas honores.
Et iam tot bona, totque dignitates,
Et grandem numerum scientiarum
Cum Parnassicolis deabus aequas.
Vivant ingenii elegantis arma,
Vivat iudicii eloquentis uber:
Clarorum sacra foetuum creatrix,
Vivat vena: operum volucris omni
Certet gloria continenter aevo.

D. HUGONI BLOTIO, I. C. bibliothecae Caesar: praefecto Viennae.

Bloti nominibus beate multis,
Quantum non alius, licet beatus:
Seu quis divitis ingenii paratum,
Doctrinaeque politioris agmen,
Seu mentem reputet quietiorem,
Et vitae genus atque dignitatem:
Bloti dispeream, colende Bloti,



---

image: s126

Ni te plus amo, quam meos ocellos,
Aut si carius his quid est ocellis:
Hesterna mihi luce quod librorum
Sacrum, illustre penu datum est tueri.
Papae magnificos, papae elegantes
Tot praestabilium virum labores,
Tot molimina, lucubrationes,
Omnis conscia scripta disciplinae,
Foetus artificum, graves, politos,
Dignos qualibet aestimatione,
Plus omni venerabiles metallo.
Gazis o mihi Persicis priores
Thesauros, Babylonicisque gemmis,
Aut, si quas amat aula, margaritis.
Regum impendia, regia haec supellex,
Quam de nobilibus reductus umbris
Vel Croesi redimat Plato, vel illis
Quotquot Lydia possidet talentis.
Hos diorum operum sacros recessus,
Haec certantia saeculius vetustis
Doctorum monumenta, tot magistros
O crebro mihi convenire detur,
Atque evoluere continente nisu.
O diam paradison, o voluptas
Qua Bloti frueris, diu fruaris,

Et me participem trahas, ut una
Donec viticolae assidemus Istro,
Istas delicias amoeniores

---

image: s127

Visu sollicito perambulemus.
Letho dispeream malus citato,
Bloti nominibus beate multis,
Ni te hoc officio et favore, lucis
Aurae dum mihi suppetent, amabo.

OSWALDI SCRIBAE Nivimontani tumulus.

Haec ergo monimenta lacrimarum,
Hoc insigne minerval, inque sontis
Id tumbae decus et pios honores,
Sero scilicet, at flagrante motu,
Vovit discipuli Thalia grati
Castarum iuveni scientiarum et
Morum dexteritate perpolito.
Quem (fors ante diem) laboriosi
Defunctum trivii molestiis, hinc
Ad classes Academiae supernae
Aerumnas miseratus, evocavit
Vitalis Deus arbiter favillae.
Liber servitii diu gravantis
Pensorumque scholasticae palaestrae
Liber, nunc prope limen officinae
Tot pridem meritis bonis refertae
Dormit corpore, traditus suavi
(At quondam reparabilis) quieti.
Vivit spiritus inter eruditos
Et Christo peramanter expetitos



---

image: s128

Manes annumeratus inclitosque.
Olim quando remunerationes
Et mites operae, pii labores,
Inculpata fidesque spesque vivax
Clari solis ad instar emicabunt,
Et quid relligiosius ardor egit:
Intactis animabus ac probatis
Intersertus ovabit evidenter,
Et mercede sua fruetur exors,
Et per saecula mille perfruetur,
Gaudens ambrosia beatitatis.
Tandem palma coronat ampla dignos.

AD CAROLUM NUCELIUM Noric. patric.

Nuceli genus inclitae domus, et
Praestanti soboles parente digna,
Nuceli puer optimae propagis:

Qui spes eximias sagaciore
Aequas ingenio, profectibusque
Aetatem superas, simul coaevos
Iam virtutibus antecurris, alma
Fortis caelituum benignitate.
I feliciter educata pubes,
I quo te ratus ardor incitabit,
Musis auspicibus, scatente vena,
ut pridem facis, impiger politis
Et te versibus infer approbato

---

image: s129

Scriptorum numero elegantiorum.
Sic te rursus amabiles Poetae
Quondam vertice honoris eminentem,
Aequatum Vario Maroniano
Claris laudibus evehent in auras
Certatim, superante liberalis
Freti munificentia patroni.

IN KALENDAS IANUARIAS, ad D. Ioh. Sambucum.



Haec est illa dies amoenitatis,
Optatissima, plena Gratiarum,
Delectabilis, hae bonae Kalendae,
Hae nobis venerabiles Kalendae,
Iani scilicet auspices Kalendae,
Menses unde volubiles recursus
Et primordia loeta mutuantur:
Et clarissimus ille rector anni
Blandi luminis orbitam citatis
Instaurare meatibus laborat.
O dulces mihi plurimum Kalendae
Multis nominibus: suaviores
Uno nomine, et o novo quotannis
Lux ornanda, resuscitanda cultu,
Cantu, relligione gloriaque:
Qua Sambucus amatus ille musis,
Musis scriptor Apollinisque dextro,
Immortale mel et medulla vatum,

---

image: s130

Quos haec, quosque sequens creabit aetas,
Scriptis grandibus usque ad astra notus,
Me Parnasside laurea poetam
Et quas praeterea ipse laureatus
Vati nuncupat ordo dignitatis,
Qua praenobilis adnatarur Istro
Laudatique ferax Vienna Baccho,
Amplo Caesaris in sacri Theatro
Praecinctum caput oppido decorum
Commendavit Hiantiis puellis:

Auctorumque choris celebriorum
Me versusque meos, licet remissos,
Et grandes minus et parum disertos,
Est dignatus equestribusque signis.
Lux o divite digna Ianuali,
Et regnantis herae Favore digna,
Quae coniux Iovis et soror vocatur.
Lauri germina sicuumque fructus
Vulgo Caesaribus dabantur olim,
Quas bifrons Deus inchoat, Kalendis,
Optatae genus ominationis
Laudatissima, Caesari, vetustas
Scaevae nomine quod bonae sacravit,
Clementissimus Imperator ultro
Doctis vatibus ipse destinavit.
O et percelebrem benignitatem,
Iucundamque mihi celebritatem.
Autumni reparabiles Kalendae

---

image: s131

Quas gratus colo, quas sonante versis
Ob natale mihi iubar celebro,
Nunc ignoscite: vos videre lucen.
Infantiliter edito dedistis.
At laudabilis auspices Iani,
Quas servamus alacrius, Kalendae
Quare, suppeditant, videre lucem
Exoptare diutius velimus.
Huic ergo, quis enim vetet? diei
Nudo vertice gratitudo plausum
Fert, quae sera licet, diuque tardans
Aspexit facie pium Poetam,
Qui laudemque decusque Conditoris,
Qui praeconia nuncupata Christo
Illustrare viriliter laborat:
Quamvis ingenio parum sequaci,
At cura vigili styloque prompto.
Fortunae indicium ominosioris
Ipsis principiis inesse dicunt.
Ergo quae sacra tota Ianitori
Menses curriculo ciet sequentes,
Felix, auguriisque dextra tendas,
Et successibus optimis Monarcham
Invictum face, daque semidivo
Quovis rege potentiam pricrem.
Et nos et comitem per aspra musam
Annalem quoties recludis arcum,
Vultus orbe vehens amoeniores,
Fatis prosperioribus saluta.



---

image: s132

AD DN. AUGSTINUM a Lidlau, Iocus.

Lideli bonus arbiter leporum,
Et, quot sunt adeo, facetiarum:
Urbanique salis, iocationum
Commenter novus: ergo consodales
Nos ad pocula Cananaea tandem
Convivator amice convocasti?
En praesto sumus: at nec hausta nobis
Illo vespere Cananaea ponis,
Sed diluta nimis, parumque nostris
Lautis gutturibus petita vina.
Heus tu, non liquor ille Cananaeus.
Non sunt haec Cananaea dona, dixi,
Quae de simplice fonte Christus olim
In praenobile verterat Falernum.
Ergo vina quid o aquata ponis?
Isthoc e puteo licet petitum,
Lymphae dedidicit cito saporem,
Et dulcis retulit genus Lyaei.
Isthic Pannonicis creatus oris
Quamvis fertur, at abdicavit humor
Omnes vitigenas suavitates,
Cum succis Acheloiis liquorem
Permutatus: aquae tenent priores.
O ne fontigenam doceto lympham
Nos discernere dulcibus Falernis.
Praestantissima, continenter inquis:



---

image: s133

Baptizavit aquis meraca serinis.
Corrumpens ita melliforme nectar.
Vis credi tibi? temperavit ergo
Undis dolia perfidus minister.
Et vero quoque vina vexat hydrops.
Lymphatis perhibent tamen mederi
Haustus ellebori: sed heus nec isti
Vel tres Anticyrae medentur aegro:
Nec spes est super ulla sanitatis.
Ebersdorffus adest quidem Aesculapii
Laudatique Machaonis nepotum
Felix aemulus: at nec ille Baccho
Commentum diaplasma venerat, sed
Saluum gustibus approbare Bacchum.
Nobis pocula sana vendicamus
Et laudabile Massici merum, quod
Nec perversus hydrops, et administri
Non vis ulla dolis adulteravit.
Quod si nos tibi non Catoniano,
Non harpocratico sedere gestu,
Sed frontes petis explicationes,
Et dignos Genio favente vultus:
Aut certe prius arte separandi
Lympham transfer ab haustibus Lyaeis:
Aut haustus ab aquis move Lyaeos,

Dispartitus et hoc et hoc seorsum,
ut distantia iudicemus ipsi:
Sic tecum genialiter bibemus,

---

image: s134

Et vivemus amica corda longum,
Dum nos Memnoniae vocent quadrigae.

AD EUNDEM AUG. a LIDLAV V. nob. et amplissim.

Quod me, dulcis amice, postulasti
Prideni ter totiesque, talpa quo sit
(Illud talpa malum, quod eruendo
Rodendoque situs terebrat omnes,
Hortorum sata, nobilisque plantae
Fibras, germina devorans et herbas,)
Quo sit talpa modo fuganda, ne sic
Vastatrix eat exedatque sulcos,
Id nunc accipe: non necesse saxis
Instratis sola cespitemque vivum
(Scultum dogma) pavire: certiorem
Tradit dia poetice medelam.
Tu frondis cape furculas salignae
Infixisque solo virentis horti,
Quo distent pariles et hinc et isthinc,
Transversum iace virgulam bacillumue,
ut formam crucis exprimat nefandae.
E qua sons luit acta furta pendens.
Invisae monimenta mortis isthaec
Nequam bestia si videbit, ultro
Quovis transfuga derelinquet omnis
Horti terga, nec amplius recurret.
Nullum praestigium fero: sed isthaec

---

image: s135

Purae conscia veritatis ars est.
Expertusque fateberis, meo nil
Vanae, consilio subesse fraudis.
I nunc ingenium malas fugandi
Talpas esse bonis nega poetis,
Lideli salis et ioci magister.

AMICO ARDUA molienti.

Poscis consilium, darem libenter,
Si fors incidat: interim monebo,
Cui non par eris unus emovendo,
Ne quod cum socio levare saxum
(Haud stat firma fides ubique) tentes.

DE AMICITIA.

Res non glutinat illicitue mentes
Cultas ulla potentius tenetue
Nexas perpete copulatione,
Quam si pectore candido colentum
Mores et studia expetita quadrent.
Hic fomes celer, hoc sodalitatis
Certum semen, amoris illecebra est.
Virtus, qua socius perennat ardor
Adsciscit similes sui, nec unquam
Vivax copula dispares iugavit.
Fortes fortibus applicant, amator
Inculpatus honesta quaerit, ambit.

---

image: s136

Nil ardentius attrahit, ruitue
In partem sibi competentiorem,
Quam natura sequax simillimorum.
Vis haec cum comite eruditione
Icti foederis obligationes
Aeternas facit: hinc pares amici,
Fidum qui Pyladen amanter aequent,
Fortem Thesea, Castorisque fratrem.
Hic gliscunt pariles utrinque motus,
Conformes animae, sequax voluntas,
Hic persona duplex, at una mentes
Urit flamma, rebulliens ab imi
Cordis vicere, quae periclitantem
Per casus socium sequatur omnes,
Casus et faciles gravesque casus.
Nec vertente die vices resultat
Ceu quondam lepus absilit relinquens
Nido progeniem parum capaci.
Virtus consimilisque disciplinae
usus quam fovet oppido secundat
Aeternante necessitudo motu.



AD AMICUM GRATULATIO.

Hic qua Lauriger ordo Gratiarum
Porro cis vada Marchici Viadri,
Se Musis Heliconios recessus
Perlustrantibus, ac vireta Pindi

---

image: s137

Adiungunt comites favente plausu:
Stat pulcherrima palma candidatis,
Frondent praemia constituta dignis,
Laudataeque remunerationes,
Aequis iudicibus, favore loeto.
Neu fructu sine strenuos fatigant
Anceps alea fervidusque sudor.
Effulgent operae flagrante Clio.

Lusus nonne vides Olympicorum,
Quando spes iuvenum calentiorum,
Maiestas que coroni porta furtim
Pulsant hausta pavore corda multo,
Et vinci metus auguralis urget:
Et voces stimulant et ingruentum
Concertantibus ominatiores.
Et qui feruet alacriore plausu,
Hortatur favor aemulatioque
Subdit calcar identidem resultans.
Et coeco quotus impetu citatus
Per divortia curua, per recursus
Sudet turbinis instar efferati?
Qua mos coecus et inquies libido
Aut cassus ratione raptat error,
Nec palpare scopum laborat unquam.
Ad metam citat otius cupitam,
Monstrator bonus et retentus ordo,
Est certe sinuantium viarum
Per vestigia nota rectitudo,

---

image: s138



Sunt lenes methodique terminorum,
Qua solertia nobilis fidesque
Dextre praecipientium secutis,
Molles undique transitus secundant,
Si quis praevia curet aemulari:
Quos ultraque citraque versus errat.
Hos tu, ferudidus eruditionis
Flamma, qua patriam reductus ornes,
Et te laudibus efferas cupitis,
Ductus devenerabilis Minervae
Cum servaveris obsequente nisu:
Quaesitum merito refers honorem,
Ornatus Heliconidum dearum, et
Te profectibus eminentiorem
De farragine plebis improbatae
Solertissimus eximit brabeutes.
Et te cum sociis pares professis
Partes ingenii sequacioris,
Pro sudoribus illicis palaestrae,
Vivaci recreatione donat.
Hanc tu sume libens, amaque dulcem
Musis auspicibus sacris coronam.
Nec te poeniteat patris Viadri
Assedisse recessibus sonoris:
Qua scitae Charities amiciori
Aspectuque habituque blandientes
Doctis vocibus asseclas morantur.

---

image: s139

IN STENTORAS CHORALES.

Numina si desunt, rumpat nisi clamor Olympum.
Aptior his operis vector asellus erit.

IN EOSDEM.

Templa sacerdotum tot qui clamoribus urget,
Esse putat surdis auribus ille Deum.
At Deus ad taciti cordis suspiria praesens,
Desine, cur adeo vociferaris? ait.

IN NOMOMACHOS.

Quam bene consuluit Mosis Deus ante sepulcro,
Terra quod occulta valle Moaba tegit.
Clauderet ignota si non regione iacentem,
(Tam ferus antinomos feruor et ira rapit:)
Cum tabula bipatente senem cum cornibus, alta
De trabe suspensum carnificina daret.
Quemque relegarunt vitra Garamantas et Indos,
Crimine proscissum scommatibusque petunt.
Atque aliquis grassante caput lymphatus ab Oestro,
Sic rudit: ad Gyaras pagina Mosis eat.
Parcite, Christus ait, dium lacerare prophetam,
Ista voluntatis concio norma meae est.
Fellere si leges audet frons effera nostras,
Quis vetet humanum rumpere dogma pudor.

RICINUS INSECTUM.

Quale croton, genus infestum canibusque ferisque,
Sanguinis attrita pelle refundit onus.

---

image: s140

Cetera qua feces edunt animata, meatum
Non habet, inflati bestia ventris onus.
Sic et acervatos cumulans abit Euclio numos,
Condita mox obita dum bona morte vomat.
Successit partisque novus possessor inemptis,
Aera per ingratum mucida Vulgus eunt.
Exhilaratque bonos Solomonis asella nepotes,
Iamque aliquis nimiis haustibus aeger, ait:
Vae tibi, dire senex, Plutone fruaris iniquo,
Cuius in haeredem sic stomachantur opes.
Tales exequias et vota merentur avari,
Parcere qui potius quam didicere frui.

Finis tertii libri.

---

image: s141

MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI CARMINUM Liber Quartus.

IN PIAM SPEM.

AUde ad inoblitum spes tendere vindicem piorum
Vitae probatus immerentis altor.
Victibus invigila, sed et integer, irreprensus aevi
Produc volantis orbitam, faventem
Delectare Deum novisse, ea summa sit voluptas,
Desiderata cordis ille fundet.
Vade revelatum dubiae Domino instituta mentis,
Et quicquid urget, is secundat ausus.
Vim pateris, confide viriliter, innocens triumphat,
Iusque emicat, ceu lampas alta Phoebi.
Tu tantum ne cede, sed expete numen obsecrando:
Neve impiatorum movere fato.
Mentis ad elatae quibus omnia supputationem
Quamvis scelesta, prosperantur: at tu
Siste animos iramque pius, procul iste biliosus
Maeror facessat aemulationis.
Indignatus adhoc qui deficit agmen improborum,
Eliminatus ibit arce divum.

---

image: s142



Hospes erit regni stellantis et eminebit alte
Qui caelicam morabitur salutem.

MILES CHRISTIANUS.

Militat assiduo quisquis pius esse concupiscit:
Devota vita est Christiana castris.
Militia est quodcumque vides: latus omne claudit hostis,
Superstites hac luce dum potimur.
Rara quies, paxnulla, furor merus, efferi tumultus:
Supra coronatos salus moratur.
Non levis aerumna est, non robore phasma destitutum,
Nec segnis astu, perdomanda Gorgon.
Praelia damnatis cum manibus oppetenda flagrant,
Tenebricosam qui tenent abyssum.
Et caelum solidumque inter velut aura, divolantes
Martem lacessunt impetu doloso.
Ponite molliciem, robur grave cordis exerentes,
Factis viros praestate militares,
Magnanimis animis decus edite, praeliis amica
Capessite arma, qualibet parati
Ire, noverca dies quovis ciet, ac periculosae
Committere aleae virilitatem.
State pares, (succincta decent latera ordinem tuentes)
Veracitate, ut baltheo, ligati
Iustitia est, usum quae praebeat aenei superne
Thoracis, hac munire corda refert.
Ite Cataphracti suras quoque, mite vindicatae
Portare pacis nuntium parantes.

---

image: s143

Praecipue clypeum, qui flammea delet efferati
    Tormenta Plutonis, fidem vehatis.
Tegmina danda etiam capiti sua: symbolum salutis.
    Hinc Spiritus acynaces vibrandus.
Stringere fas Verbumque Dei Patris et precationes,
    Has et furor Sathanicus pavescit.
Semper atrox inimicus (uti leo rugiens) oberrat,
    Praedam famelicae gulae requirens.
Ex quo, perpetuas statuam, Deus inquit, inter istum
    Colubrum Adamidisque semen, iras.
Hunc validi terrete fide, dare terga retroversum
    Virtute, cogite, excitatiore.
Tantum ne gladio diffidite, nec, metu opprimendi
    Discriminis, certamen abdicate.
Ad latus ipse Deus, partes gerit et vices Achatis,
    Victoriam certamini secundans.
Hoc regnantis opus. trivit caput ante victor idem
    Furuo Draconi: membra dira vivunt.
Hac virtute pios Dominus regit, o quater beatum,
    Qui sustinere novit hos agonas.
Pugnae participes qui nos facit, et laboris aegri,
    Grati sodales reddet et triumphi.
Passis cum Domino stat gloria laureata merces,
    Regnique par communitas perennis.



VITAE TROPHAEUM.

Falce minax atra, dentisque ferissima fului
    Mors inferorum carnifex,

---

image: s144

Huius ut usuram lucis, quam ducimus, aufert,
    Vitae secatque licium:
Debilis est eius, Christo minuento potestas,
    Ius efferatum perdidit.
Restat iners avidae simulacrum mortis, inanis
    Persona restat et pavor.
Cogitur immunes ex fauce remittere manes
    Redintegrata ad corpora-
Fataque supremo vitae iam fine peracto,
    Novata neve cogitur.
Facta dolet iactura, fremit Stygis hospita rictu:
    Vetare non potest Deum.
Fortior est Christus, quam vis adamantina lethos:
    Vitae via, et mors est necis.
Carceris inferni metus omnis ademptus, ad astra
    Recta volamus exciti.
Tendimus huc ubi christus agit, modo claustra resoluit
    Soror soporis intimi.
Simus in instantis metae certamine fortes:
    In occubando foenus est.
Id procul ambiguo, (qui nos confidere iussit,
    Superstes est) videbimus.

CONCORDIAE DE HYMNO Davidis laus.

O voluptatem, decus o venustum,
Pacis o vere lepidum favorem,

---

image: s145

Quando iucundi coiere fido
Pectore fratres.

Balsami fragrans pretiosioris
Sicut unguentum, quod in Aaronis
Defluit large caput, eque barba
    Vestis in oras.

Noctis aestivae genitalis humor
Hermone a celso velut in Sionis
Linquitur Clivos, Cereremque tostis
    Potat in aruis.

Hic inexhaustam benedictionem
Spondet immensi dominator aevi:
Hic honoratam per adaucta spondet
    Saecula vitam.



PIORUM IMMATURI obitus.

Ecce (res certe meret annotari:)
Quomodo excurso valedicat orbi,
Quomodo e rerum variante migret
    Turbine iustus.

Nemo transscriptum statione lucis
Curat: e quovis legit innocentes
Conditor tractu, quotus illud autem
    Sensibus haurit?

Fallor an? sancti cito colliguntur,
Membra ponentes placidae quieti,

---

image: s146

Ne malignorum simul apprehensi
Strage trahantur.

Eminet regno pius auspicato,
Et Redemptoris faciem serenam
Ad voluntatis libitum, propinquo
    Sole, tuetur.

Quando supremum iubar emicabit,
Quando telluris gremio reposti
Suscitabuntur, radiabit insons,
    Sideris instar.

Quippe si constante fide professi
Credimus Iesum occubuisse letho,
Et reportatum Stygiis ab umbris
    Vivere supra:

Nos in eiusdem meritis Iesu
Morte sopitos pater excitabit,
Et triumphantem Dominum secutos
    Inferet astris.

Ut, per extorrem, reputamur omnes
Mancipi letho soboles, Adamum:
Sic, ob unius retributionem,
    Luce potimur.

PERSEVERANDUM IN oratione.

Quis me vetabit spe memorabili
Motuque firmo reddere fortiter

---

image: s147



Concepta supremo parenti
Cum prece, vota, frequentiore?

Orabo longe quin vehementius:
Quando Deus nos diligit, et iubet
    Fidenter in sese vocari,
    Auxiliumque receptat ultro.

Amplexa verbum cuncta potest fides:
Nil exstat uni impossibile aut grave:
    Fides inexpugnabilis stat,
    Vincere docta vel ipsum Iesum.

Numquid potestas omnipotens Dei
Est imminuta? an prisca benignitas
    Fathiscit, et cessavit esse
    Foederis officiique servans?

Non tam solutum ac immemorem sui,
Pacti fidelem facta sed arguunt.
    Non surduere adstantis aures,
    Lentus ut illa petita differt.

Insta obsecrando, nec statuas modum
Votis, priusquam compos abiveris:
    Scit tempora opportuna fautor:
    Et mora foenus habebit amplum.

CHRISTO RESUSCITATO Poean.

Iam feriarum ritibus et sacras
Plausu per aedes, cum precibus pie

---

image: s148

Cum gratiis iuxta solutis:
Syndone testificante festum,

Visamus hortos frondicomos, ubi
Tellus venustum florida cespitem
Progerminat, vernos odores,
Et sata versicolore cultu.

Horti salubres et viridaria
Intaminatis lucida gemmulis,
Praeter nitorem sericum, quid
Relligionis alunt recessu.

Victo tremendae mortis aculeo,
Christus redemptor, fructiparo in loco
Vitam resumit, deque amoeni
Membra levat nemoris sepulcro.

Horti voluptas irreparabilis,
Quam primus Adam perdiderat male,
Maestae reis damnationis
Hoc fuerat redimenda pacto.



Lethi reatus fluxit ab arbore,
Culpam luit servator in arbore:
Sic expiata est innocentis
Sanguine, noxa parentis Adae.

Horti fores obsederat angelus:
Christi triumphum desuper angeli
Annuntiant, ut delicati
Rursus opes pateant vireti.

Lenes adestis, quaeso, iuvenculae:
Vitae bonum virguncula perdidit,

---

image: s149

Nobisque vestro sexuique
Quotquot Evae ferimur nepotes.

Vitae resumptis fortiter haustibus,
Servator vitro se facilis choro
Dat feminino conspicandum:
Neu patriae necet ira labis.

Eia reducti veris alumnulae,
Festivitatem promite, frondium
Nascentium pulchros lepores,
Denaque visere prodeamus.

PERICULOSA VERBI custodia.

Felices ter et amplius,
Si qui dicta Dei vivificantia

Arctis sensibus hauriunt:
    Sanctum solliciti et pervigiles opus
Custodire fideliter:
    Vires suppeditante eminus entheo
Incrementaque spiritu.
    Felices ter et o amplius: hinc penu
Amplum, iuge, scatens bonis.
    Hinc doctrina sagax, inde salubria
Consolamina profluent.
    Mussanti fidei rebus in arduis.
Ast Orci validissima
    Vis, quae multa piis semper obambulat,

---

image: s150

Quaerens quos cito glutiat,
    Connivente Deo, spirat identidem
Quavis exitium piis.
    Omnes undique conclamat Erynnyas:
Astus qualibet acciet,
    Ardens insidiis, salvifica haec seges
Ne radicibus haereat:
    Sanctos dia ferat ne meditatio
Fructus per patientiam.
    Tanta en Tartareae stat rabies leae:
Quam non ingenii calor,
    Non virtus animi conscia nobilis,
Non natura capax boni,
    Quam non ipse ferus perdomet Hercules.
Tot casses niger abdidit.
    Auceps et pedicas: agminis hostici
Diros ut caveant dolos
    Sancti, pervigiles expediunt preces:
Humano, indocilis furor
    Nisu, prorsus hic est exuperarier.



DE S. BASILIO EPISCOPO.

Valens quid o tyranne, quid tonitruis
    Ferox crepas flagrantibus?
Quid me ferinis territas rugitibus?
    Non sum puella, non puer.
Compesce bilem. futiles inaniter

---

image: s151

    Minas profundis obstrepens.
Contemptor en stat lucis hic, et omnium,
    Quae perpeti coegeris.
Haud me caducus iste permovet furor,
    Deum fidemque ut abnegem.
Amabili privare corpus halitu,
    In spiritum potes nihil.
Tanta Valentis efferi impotentiam

Episcopus constantia
Et fortitudine elevavit, flaminis
Intra aestuantis impetu.
Pro veritate prodigus vitae, necis
Paratus ad quoduis genus.
Spes at superba iussa saepiuscule
Frustratur, efficaciam
Deo negante, qui ferocientium
Nefas et insolentiam et
Blasphemiam regum coercet, exstimae,
Severitatis regula.
Dirus, cito, Valens valere desinit,
Poena ingruente vindice:
Flammam minatus immerenti episcopo,
Crematur ipse turpiter.
Io triumphe: candidam verbum Dei
Tandem obtinet victoriam.

DE ECCLESIA, EX HYMNO Davidis.

---

image: s152



Huc o Pieriae, musa, chelis comes,
Psalti regifico leniter accinens,
Coetus dic Domino rite pedisse quos,
Fortunamque domus sacrae.

Sic inquam: cytharis et fidibus boni
Cum vocem Coridae protinus explicant,
Festivum, saliens, hymnisonum, loquax
Prompturi Coridae melos.

En munita suis undique et undique
Tuto conspicitur molibus eminens
Omni libera formidine, civitas,
Salvandi genitrix chori.

Stat firmata: potens arbiter aetheris
Portas Sionias, almaque moenia
Iacobi reliquis praetribus, pio
Servans asserit impetu.

Eia salvifici numinis hospita,
De te quam seritur rumor amabilis?
Quam dulcis patulum vox ferit aera?
Vox uberrima gaudii.

Gens assecla mei cum memorabitur,
Una Niligenas et Babylonici
Euphratis populos annumerabimus
His, quos indigenas voco.

Linguis et patria dissita natio,
Phoenices veterisque incola gens Tyri,
Et cultor Nasamon littoris Indici

A Sione trahent genus.

---

image: s153

Sion loetificis plausibus intonat,
Sienem patriam quilibet expetit,
Stirpes innumeras parturit hic locus,
Quem celsissimus extruit.

Linguarum populos conciet omnium
Conscribens Dominus: quilibet audiet
Echo salvificum multiplicentur ut
Castri examina perpetis.

Hic hic clangor io plangit, ut in choris,
Crispant hymnicani versicolor melos,
Alternante piae vocis acumine
Loeti carminis odulas.

TEMPLUM PACIS ROMAE fulmine tangitur.

Paci Roma sacram diuturnae struxerat aedem,
De qua petitum oraculum est Apollinis:
Fata quot huic operi dent saecula: stabit ad auras
Vates ait: dum virgo sit puerpera.
Decepti augurio titulum fecere Quirites,
Templum verendae sempiternum pacis hoc.
Soluere et ingentem trahe machina lapsa ruinam,
Enixa virgo casta filium Dei est.
Pendet ab eventu verum, nam protinus illa
Sacrata, tempestate, moles corruit.



AD PRINCIPEM PARAENESIS.

---

image: s154

Ornatissime Principum
Princeps, Hesperidum nobilior tribu,
Numa relligiosior:
Huc adverte animum, pauca moneberis,
Quae cum feceris antea,
Laudatum monitis te brevibus puta.
Multos lusus inanior
Exercet dominantes, labor officii
Raros debitus occupat.
Bacchi turpis amor, delicium gulae,
Venandique licentia,
Molli desidiae pabula suggerunt.
Auri sacra fames Midas
Hei e Christicolis principibus facit.
Omnis denique vilior
Cura est sollicitis cognitionibus.

Regnant interea viri,
Portantes ad herum candida de nigris
De candentibus atra, pro
Affectusque datorumque licentia.
At tu non ita degener,
Regnatoris opus nobile deseris:
Praesens ardua supplicum
Censes iudicii et consilii nota
Decidisque negotia:
Praestans ingenio et vi sapientiae.
Heroae ergo propaginis
Ut radice bona ducis originem:

---

image: s155

Illustri indole sic caves,
Ne non dignum atavis osse quis arguat.
Eia macte bonis tuis,
Princeps optime, nec spes venerabiles
Virtutemue tuam velis
Rerum ignobilium sorde morarier.
Mentis quin decus exerens,
Vires et vegetas sanguinis incliti:
I conatibus entheis,
Heroes tibi qua praeficiunt avi
Gressus, auspicio Dei.
I palmamque super laude parentium
Felix aemulus, obtine.
Nunc adsuesce cito, si qua Arethe parit,
Non vitare pericula.
Primi difficiles sunt aditus: gravis
Ad pinnacula gloriae
Sudor: sed requiem spondet in arduo,
Exors inde coronula est:
Cum mollis tenerae diva libidinis
Tandem praecipitet suos.
At tu mollitiem despice, supprime
Luxum flagitii cibos.
Quando contigeris exstima gloriae, et
Ornamenta potentiae,
Iam fortuna potens teque locarit in
Maiestatis acumine:
Iam tunc promeritis fortibus inclitos,



---

image: s156

Praestantesque fide et manu
Largae fac memores munificentiae.
Iam tunc ingeniis bonos
Vates officiis mitibus excita:
Optatam remeabili
Cum sumtu tribuens materiam stylo.
Hinc pendet diuturnitas
Famae, gesta ducum quam sibi vendicant.
Aevi laudibus inserunt

Scriptores merita augusta potentium.
Isthinc commemorabilis
usuram celeber nominis auferes:
Et te carmine posthumo
Insertum, assiduo posteritas leget.

ADOLESCENTIA SOLOMONIS.

Ergo explicatis iam violariis
Aevi, iuventus, utere: floridae
Nec differ annos insequentes
Gaudia deliciumque pubis.

Nunc exilire et plaudere alacriter
Tempus, venustis ludere saltibus:
Ac integra virtute cordis
Velle frui, Genio sereno.

Dum mollis aetas vernat amabile,
Dum succus extans ore coralino.
Blanditur, impigrisque feruens
Luxurat vigor in medullis.



image: s157

Anni fugaces irrevocabili
Circumvolant velociter orbita,
Nosque implicatos sempiternis
Legibus abripiunt adactos.

Fecundae quondam cordis alacritas,
Et robus illud nobile defluet:
Subrepet incautis molestus
Languor, inertiaque ingravescens.

Formosa pubes, ergo bonis tuis
Iam freta, rugas tristitiae fugans,
Accommoda loetis diebus
Dum faciles gradiuntur, usum.

Regis, sed heus tu, non, sapientia
Intemperanter frena libidini
Tyrunculos laxare mandat,
Semiferosque sequi cyclopas.

Lasciviae ceu concio mancipi
Frendet licenter, lustraque dedicat
Iucunda Nysaeo parenti,
Turpibus Idaliaeque ludis.

Tantum voluptas deses et improbum
Floraliorum dedecus afficit:
Festivitas Comi salacis
Orgiaque una iuvant proteruos.

Aufert ephebos Dira ferociae
Captos, paratur drama cyclopicum:
    Hinc plaga nocturni tumultus
    Tot vicibus maculat Quirites.

---

image: s158

Hunc ergo florem? haec gaudia dixeris?
Erras? id aevi perdere inaniter
    Florem voco: res haec bonorum
    Corporis est animique clades.

Luxum secutis immoderatius
Elumbis instat debilitas comes,
    Urget senectus aegritudoque
    Ante diem, properante fato,

Horas memento, flos iuvenilior,
Illustriori dedere gaudio,
    Et liber ali disciplina
    Ingenii emaculare micam.



Statim novenis auspicibus diis,
Artes honestas praendere convenit,
    Humanitatis pulchra merces
    Pullulat unde, bonique mores.

Virtus tenellae protinus indoli
Est inserenda, et casta modestia:
    Iam laudis augustae puello
    Alta Cupido resuscitanda.

Solennis illhinc et memorabilis
Festivitas exurgit, euntibus
    Fatis in orbem, qua puer nunc,
    Inde vir atque senex triumphat.

Privata non haec utilitas manet:
Tali sed olim patria alumnulo
    Loetabitur florens, et illi in
    Flaccibilem statuet coronam.

---

image: s159

Insiste, pubes, ergo viriliter
Rectis fidelem tradere laudibus
    Industriam, nec recrepantis
    Improbitate movere vulgi.

Musarum amicus miles ab inclita
Pindi palaestra qui brabion petit,
    Multum molesti devoravit,
    Pluribus abstinuit cupitis.

Nil absque duris vita laboribus
Largitur: ergo ingentibus indolem
    Tyro fatigat, victor ultra
    Spes patrias properans iturus.

Talis voluptas ornat ephebia,
Hic floris usus: sis memor interim
    Responsa quod posceris olim
    Omnibus his super, a datore.

IN NOVUM ANNUM.

Me licet immitis fati tenor iste continenter
Angens, acerbis oppido fatigat:
Sorsque profligatis durissima rebus opprimendi
Me, nec modum determinat nec horam:
Haud tamen iccirco devictus et immemor, renatae
Salutis obliviscar atque Iesu.
Christe satisfactor, quam das bonus hisce lacrimosis
Sudoribus molestiisque metam?
Orbita per cyclum revolubilis avolavit aevi,
Subrepit annus integrans abactum.



image: s160

Hanc quoque fortunam, cum tempore finiente, fini,
Certae clientulum refer quieti.
Qui te virtutisque tuae decus obsequente plectro
Sonare pertinaciter laborat.
Hoc mea te supplex infantia, per tuam benignam
Iesu puelle, infantiam precatur.
Exul id obtestor lacrimabilis exulem misellum,
Nunc at suprema sede constitutum:
Qua patula vigil aure notans oculoque comprecantum
Questus, voluntatem facis piorum.

HUGONIS a MAXEN castis manibus.

Fratrum dulcis amor spesque superstitum,
Hugo pallidulis addite manibus:
Hei quo te genitrix, quove sororculae
Planctu, quo patrium prosequitur genus?
Te desiderium, te, tot amantium,
Et tantam socii maestitiam gregis,
Fletu non valuisse eripere, hei, ferae
Clothus arbitriis ex adamantinis.
Quid laus ingenii nobilior tribu,
Quid mens Sithonia candidior nive,
Aetas quid Veneris floridior rosis,
Quid iuvit Curiis stirps generosior?
Hinc hinc turba procul cede profanior,
Hugonis tumulus nobilitat locum:

---

image: s161

Huc infausta parens et miserabilis
Affectus posuit delicias sui.
At nes summa dedit basia frigido,
Miti labra manu morte rigentia
Extinctaeve premens lucis opercula:
Umbrae quae graciles munera diligunt.
Tumbam sed Syriis spargit odoribus
Hebe, Gratiolis aemula dulcibus.
Gonsors en cytharae Terpsychores chorus
Castis puluerībus carmina dedicatn.
Exornat querulis marmor honoribus
Vatis Fabricii musa Georgii:
Donat compositum nomine posthumo
Non ullo docilis, fama die mori.
Vos ergo Charites, plangite, dicite:
Hugo nobilis en Maxendies obit:
Ergo scripta legens adsere quisquis es,
Hugo nobilis en Maxenides obit.
Tellus o teneris blanda sit ossibus:
Molli membra situ fossa quiescite,
Fibris cum teneris, cum iuvenilibus:
Donec summa dies orta vehat iubar:
Quae membris aliud restituet decus,
Integrata replens ossa leporibus:
Vitae scripta libris, illa, fidelium
Addet perpetuis nomina gaudia.



---

image: s162

GEORGII HILDEBRANDI viri in aula Saxo: amplissimi tumulus.

Ominis augurio sic respondente, professus
    Et Hildebrandi nomen et Georgii,
Leniter obtinuit, Christo duce et auspice Christo.
    In lethi egone acerrimo victoriam,
Armamenta humeros supra caelesita duxit,
    Quae divus aptat spiritus clientibus.
Tela, profligantur quibus horrida fulgur a Ditis,
    Manu vibrabat impiger fortissima.
Hei miserum, si quis certamina spirat inermis:
    Non res iocosa hic, non inane ludicrum.
Est nobis immane fremens, aterrimus hostis,
    Truculentior leonibus famelicis.
Tot serit insidias, quot sunt momenta dierum,
    Sanctos ubi vis devor are quaeritat.
Astardente fide, gladiique bicuspidis ictu,
    (Verbum Dei praestat vices acinacis:)
Pellitur infesti vis immansueta Sathanae,
    Hunc sustinere non potest martem malus.
Militis has partes, sine lite fideliter egit
    Id ire nomen, Hildebrandus , obtinens
Trans Acheronta viam perrupit, ut armiger heros,
    Ad melitas domos superni luminis.

Donec in hac autem lucis starione superstes,
Vitaeque cultor exstitit Georgius,

---

image: s163

Non affixus humi, ceu sarcina futilis, arctam
Volantis aevi portionem transiit.
Munia digna viro, quibus et Respub. gaudet,
Fide subivit fortis atque industria.
Corporis assiduis vires sudoribus hausit,
Laboriosae functionis aemulus.
Iustitiam non ipse potest arrodere livor,
Integritatem dives aula praedicat.
Noverunt laudare bonos haec saecula mores,
Digne remunerare facta nesciunt.
Nunc se matre sua tellure Georgius abdit,
Cognationis intimae non immemor.
Nota nec augurio felici nomina fallit:
Praestantiore est parte sed sui super.
Gleba sumus, glebam colimus, vitaque solutos
Gleba accipit, totosque in se redditerat.
Quando suprema dies, abiecti a pulure limi
Deo vocante, nos redintegraverit:
Caelicolae, non terricolae per saeculae, mundi
Manentis usque et usque nuncupabimur.
Et qui iure modo vulgus mortale vocamur,
Vita angelorum perfruemur perpetim.



NATALIS POETAE.

Ne mi molesti sitis, amiculi,
Neve augeatis sollicitudinem,
Natalis orti postulantes
Legitimam celebrationem.

---

image: s164

Taedet venustatis, piget amplius
Festivitatem prodere lusibus
Largaque convivatione,
Carminibus cytharaeque pulsu.

Blandis meum quae pectus amoribus
Demulsit, auctor laetitiae omnis, et
Causa una, abest: manes mode inter
Frigidulos volitat puella.

Atrox misellam corripuit lues:
Qua nunc Viadri divitis accolas
Ingente devastatione et
Caedibus excruciat licenter.

Nostra o voluptas, delicium meum,
Te per tenebras quando erit ut sequar?

Tecum dies ducamque festos
Elisii in regione campi.

GUILIELMO HILDENIO.

Dum dissolutis Syrius aestibus
Agros hiulcat, iamque vaporibus
Ignescit aether efferatis,
Et Cereris vibrat arma messor:

Divae quietem Pierides suis
Laxant alumnis, et modo vallibus
Ipsae sub imis delitescunt,
Frigidulasque sequuntur auras.

At non voluptas Hildenium iuvat
Talis, Cupido cui face torrida

---

image: s165

Intus pererrans auget aestus
Aestibus, accumulatque flammam.



Subtilitatum quas acuunt Sophi,
Sublime nentis Pallados immemor,
ut arbiter divum sub Ida
Dat Veneri pueroque palmam.

Dum dividens alneta Coloniae
Illum, Suevus, conspicit hospitem,
Gaudentis amplexu in puellae
Oscula congerere icta raptim.

Illic sequaces non memor advocat
Musas, amicos nec remiscitur,
Quos umbra vallis Phillyrei
Detinet haustibus occupatos.

Da tecupitis lusibus, et sacro
Festos licenter da Genio dies:
Tecum fruatur delicatis
Sponsa iocis et amoris usu.

Erit petitis cum salibus datum
Satis, revertas alite dextero,
Ter tres deas, ac elegantes
Pleridum socios revisum.

DEDICATORIA.

At non barbariae furor,
Visque exosa bonos, cum studiis bonis.
Quamvis imperitet, potest
Vocem Pieriae claudere barbyto.

---

image: s166

Dum quisquam superat boni
Mecaenatis opus qui sibi vendicet.
Qualem te lepidissima
Virtus et veteris nobilitas domus
Musis auspicibus, probant,
Sublimi positum sede in honoribus.
Ergo cum lyricis modis
Incedens Erato se tibi nuncupat.
Quae sit materies rogas?
Festivo numeri subsiliunt pede:
Ornat sacra severitas.
Et me cura vetat fronde poeticae
Praecinctum caput ingredi.
Si fortuna tamen laetior emicet,
Demta sollicitudine,
Pubentes ederas fronte geram, vale.

DE ANGELIS HYMNUS.

Huc ades aevi sator universi,
Huc ades fili genitoris almi,
Spiritus ducens ab utroque fontem
Lucis adesto.



Angelos vitas, volucres, obortae
Labis expertes penitus, Deique
Semper attutu, faciem colentes
Laude vehemus.

Igneos illis opifex vigores
Caelicam mentem sapientiamque

---

image: s167

Proximam divis dedit, et coaevam
Vivere vitam.

Congruos ipsi superum parenti
Exerunt sensu ingeniisque motus:
Casta propugnant et amica vero
Iustitiaeque,

Stare in accinctu iuvat obsequentes
Imperatoris reverenter omni
Nutui servire, ea summa rerum et
Sola voluptas.

Hoc opus, iugi celebrare plausu
Gloriam nomen, decus ac honorem,
Qui potestatem Deus omne secum
Tendit in aevum.

Hi magistratus, validique divum
Regis heroes, volucresque turmae:

Victor hoc uno solium Michael
Robore stipat.

Cumque ineffandae generositatis
Compotes illos dominator aevi
Finxerit, tanto genus asseclarum
Numine donans.

Non ob id supra legionis agmen
Detinet sanctae, sibi servitutem
Vendicans uni: volat angelorum
Turma deorsum.

Gentis humanae iubet administros
Conditor divus fieri, micantis

---

image: s168

Principes caeli vigiles dat ultro
Terrigenarum.

Damna custodes et inauspicatos
Reprimant casus, ut et efferatum
In genus, massa super impotenti
Arma capessant.



O creatoris meritum benigni:
O inauditum genus obsequendi
O ter et supra miserae beatos
Carnis alumnos:

Non tulit nostri patienter illud
Sanguinis, Livor, decus, intumescit
Fellis affluxu furibundus, ira,
Lucifer ardet.

Odit auctorem, bona tot creatis
Invidet sponsis: ob idem severis
Ictibus, turba comitante, praeceps.
Ivit Olympo.

Eius instinctu, licet expetitum
Plasma descivit, rapidoque letho
Mancipi res est, rata feruidique
Praeda Charontis:

Spiritus at non ideo ministros
A reis auctor penitus removit,
Neu secundatam renuit salutem
Conciliatis.

Aggeret saevas Cacus ater iras,
Sanguinis tantum sitiens, atroci

---

image: s169

Impetu rectos petat, ima summis
Turbine miscens.

Imminet supra caput, et piorum
Ad latus divum clypeatus ordo,
In sua semper statione pugnans
Acribus ausis.

Castra met antes radiosa cinctu
Muniunt coetus Demino fideles,
Militaturis in averna telis
Usque parati.

Fata permissu Domini recludunt,
Ac futurorum memores abyssus
Vatibus monstrant: dedit ipse quantum
Nosse creator.

Nuntios praestant celeres bonorum,
Turba credentum quibus indigebat:
Corda solantur meditationum
Anxia curis.

Qui tubae celse resonantis instar
Voce, doctrinam creper a salutis
Publice clangunt, sacer hos tuetur
Angelus, omnent



Vim tyrannorum, rabiemque contra
Ditis infensi, leo qui fideles
Perditum letho celeri perinde
Quaerit ad unum.

Pace gavisi, bona dia pacis
Promovent actu, placidumque contra

---

image: s170

Pacis exosos columen severo
Numine plectunt.

Impias moles rapidosque nisus
Impediverunt: tot adusta regum
Grande anhelantum cecidere quondam
Fulmina retro.

Ne pii tetra lue fascinentur,
Haeresin longe removent professos
Angeli, sanctos ab atroce saluos
Igne reductant.

Hospites verae fidei monarchas
Adserunt, alte solium refulget:
Ordinem sanctum, gladios tuentur
Sceptraque regum.

Christianorum thalamos secundant
Pronubi, praebent comites viarum:
Febribus quondam medicantur, aegris
    Pharmaca tradunt.

Quid: quod infantum sacer ordo cunis
Adsidet, servans graciles alumnos:
O supra vires rationis, ampli
    Munus amoris.

Virium tanto cumulo beati
Non ador ari patiuntur unquam,
Se beatorum famulos remissa
    Mente fatentur.

Perperam factis et parum pudice
Terga dant, his e medio remotis,

---

image: s171

Spiritus atri subeunt amica
Sede potiti.



Quis venenatem rabiem, quis iras
Efferosque ausus numerare tentet?
Quot malignantes sub utroque condant
    Axe malorum.

Stat suus regnis, suus ordinatis
Urbibus daemon, statione sancti
Qualibet diras operationes
    Experiuntur.

Polluit sacram petulanter aedem
Scandalis, mystas agit arrogantes
ut, fide cassa, nova machinati,
    Somnia texant.

Martis haud semper furiis aperti
Pugnat, aut noto veterator ictu:
Caelitis vultus, faciemque lucis
    Sumit alumni.

Spiritus mundos imitatus ausis,
Ficta responsis simulacra vanis
Inflat, incertas per Hetrusca sortes
    Fana figurat.

Bestiae quavis vigilantis astus
Comprehensurus numero quis esset:
Ante Dictaei numeret saburram
    Litoris omnem.

Hostium densas acies et ictus
Quoque momento quibus obsidemur.

---

image: s172

Conspici fas sit, metus intuentes
Exanimaret.

Numinum rex et pater empirorum.
Virus atrox insidiasque Caci
Verte, propugna per amabiles nos
    Nostraque flammas.

Propter asseclas fidei perennant,
ut Redemptoris miserationes:
Perpetim sic nos pia regulorum
    Cura sequatur.

Hoc ut in cursu volitantis aevi
Tutius semper tibi serviamus,
Angelis olim socii perennes
    Te celebremus.

IACTA SUPER DOMINUM curam.

Sicut furenti puppis in aequore
Iactatur olim, quassa reciproci
    Fluctus tumultu, monte aquarum
    Remigium feriente: torquet



Cum toruus atras hinc Aquilo minas,
Atque Eurus illa parte procellifer
    Incumbit, indignante ponto.
    Exitiumque parante nautis:

Fastidiosum vulgus et insolens
Facto impetu, sic nos quoque iactitat.

---

image: s173

Pessumque dedit Christianae
Iustitiae fideique alumnos.

Saevit tumultu bestia multiceps,
Altaque spirat mente potentiam,
    Nec vindicis lenti furorem
    Terribilesque moratur tras.

Hos, tot subactis ordine saeculis,
Omnes fideles experiuntur, hos
    Servator insultus abunde
    Cum socia legione, sensit.

Istas inulti non tamen auferent
Iactationes, carnifices enim
    Vitae manet iactura dulcis
    Perpetuo facienda quondam.

Curas sinistris casibus anxii
Nos in Deum iactabimus interim,

Spe fixa in ultorem, subactis
Consilio auxilioque promptum.

Quisquis modeste perque silentium
Huic passionum subiugus exitum
Rectique compensationes
Tradiderit patiente voto:

Non horror illum, quamlibet improbus
Afflictionum franget, et impetus
Opprobriorum: sed trophaeum
Alitibus statuet secundis.

Has qui procellas non didicit pius
Perferre, et aptis iactibus utier:

---

image: s174

Christum professis quae imminent, hunc
Immodice ferient ruinae.

NUNCUPATORIA AD BARONEM.



Clangunt olores flante Favonio,
Vernans Aedon pervigilem ciet
Musam: vetat me casus auras
Vocibus imbuere expetitis.

Plectrum canendi nuper idoneum
Quamvis viator, continuo tamen
Haud abdico, dum Phillyraea
Me bonus abdit Elister umbra.

Maii renidens mensis amoenitas
Invitat ultro, pensaque suggerit
Lusus adornanti Minervae,
Materiamque gravem perosae.

At non lepores, aut faciles iocos
Dictant amicae Pegasides, neque
Culti pedem poscunt Amores,
Nec dea, quosque perosa luctus.

Late celebris sed Camerarii
Funus corono flebilibus modis:
Quem rebus humanis et urbi
Huic rapuit pede parca furuo.

Oblectat olim sic miserabilis
Vitae laborem sedulus artifex,
Non auspicata ex officina
Conveniens melos explicando.

---

image: s175

Felix avitis stemmatibus Baro,
Famaque felix, haec tibi dedico,
Virtutis argumenta laudans:
Tu properata benigne habeto.

Spes sic paternas fortiter impleas,
Ultraque avorum nomina te vehens.
Heroas acres aemuleris
Pectoris ingeniique gestis.

Cum me quietis sedibus adsitum
Ductus fovebit sors melior bono,
Accommodabo grandiori
Ingenium triviale penso.

PIETAS AD OMNIA utilis.

Quisquis in rebus miseretur arctis
Derelictorum pius: hunc vicissim
In die maesta Deus expedibit
Auxiliator.

Ex anhelanti rabie doloris
Haustibus aegrum recreabit aptis,
Omnis avertet monimenta morbi
Conciliato.



Mortis e rictu rapido retractum
Reddet in dulci patria beatum,
Nec pharetratis dabit opprimendum
Hostibus unquam.

---

image: s176

O ter o diam miserationem,
Quam manet merces, vada, sacra tali:
Vae, pios si quis malus efferatis
Opprimat ausis.

DUCI AUGUSTO ELEctori Saxoniae.

Dixit Augustum tuba gratulantum,
Romulae gentis caput, evehendo
Regios fasces, et adhuc coruscat
Nomen ab aevo.

Pace firmata super auspicati
Imperii fines soror alma pacis
It salus, Christo populosque donat
Caelitus orto.

Dicat Augusti, fide laureata
Principis late, pia musa laudes,
Pacis illustrem, super ante plectro,
Dicat alumnum.

Gloriam Christi radiante cultu
Auget Augusti pietas, fidem per
Dissitas plantat sub inhospitali
Climate gentes.

Te professorum pie Christe custos
Prosperis patrem patriae secunda
Nutibus, longum, precor, ipse tali
Principe regna.

---

image: s177

D. IOHANNI RUCARDO Medico et Poetae.

Ergo disertis hendeca syllabis
Divos amores, divaque gaudia
Et mysticum, Rucarde, tractas
Ingeminans hymenaeon almi

Regis, perenni qui thalamo sibi
Clemens adoptat de grege sponsulam
Mortalium, dignatus ultro hanc
Iungere caelitibus beatis.



O expetito materiam stylo
Musaquo dignam compositissima,
Solertia exquisitiore et
Divitis ingenii apparatu.

Natura laudes has tibi contulit
Felix abunde: nec docili deest
Industriae vivax acumen:
Tu modo pensa paratus urge.

Macte evehendis connubialibus
Insta petitus scriptor amoribus:
Neu praemiis diffide pulchris,
Proepete fama sequetur ala.

Frondens athletis palma stat omnibus,
Plures in una sorte periculum
Fecere, martis pro virili.
Laus sua quemque beat superstes.

AD DN. ELIAM HUTERUM.

---

image: s178

Lusus tuis quos nuptiis sacravimus,
Amice sincerissime:
Si non scatent leporibus, quantos cati
Censoris acrimonia,

Aut spes tuae desiderant, aut poscit hic
Lepidissimus rerum tenor:
Ignosce lenis, haud voluntatem decet
Ex versibus metirier.
Curis tot usque quaque distinemur et
Molestiis et scrupulis,
Sors quos noverca suggerit, ne identidem
Musis amoenioribus
Vacare concedatur: in luctus forem
Exercitatus oppido.
At tenuibus tibi esse cum poematis
Bene ac beate comprecor.

IN MATRIMONII laudem.

Non vana casu fortuito pias
Coniunctiones sors it a copulat:
Nec confluunt in faedus unum,
Ordine consilioque dempto.

Cubilis ignes legitimi sacros,
Vim prorogandi, prole data, genus,
Rerum sator mundique cunctis
Stirpibus indidit, approbatque.



---

image: s179

Idem pudicas servat adhuc faces,
Connubiorum nexibus implicans
utrosque sexus, igne amoris
Pectora pectoribusque adunit.

Liberrimi quos dexter a numinis
Communitatem carnis in unius
Virtute verbi, glutinavit,
Nemo hominum religare tentet.

Ergo auspicati vivite coniuges,
Sortis timentes nil dubiae vices:
Vestra est Deo clementiori
Vitaque conditioque curae.

PRO NOVIS CONIUGIBUS.

Alti numinis in fide
Coniux integra cum pio
Lecti compare leniter
Tutos degitis annos.
Adsis Christe salutifer,
Proles optima maximi
Patris, plenaque caritas,
Et commentor amoris.
Primus tu irreligabili
Iunxti connubio duos,
Edomi in viridario,

Solennes neonymphos.
Demta sorte libidinis,
Sic ut multiplicent genus,

---

image: s180

Sanctarum velut in precum
Virtutumque palaestra.
Dias auctor identidem
servas officii vices,
Dum constringis adhuc pias
Sancto foedere mentes.
Nec verbo semel editum
Turbari sinis ordinem,
Quamvis Tartara plurimo
Strident impete contra.
Huc spirans, operi tuo,
Sponsis et benedic novis:
Fac pro lusibus editis
Pulchra prole parentes.

PROPEMPTICUM.



Ergo Pierii decus
O et delicium chori,
O et dimidium mei,
Consortumque sodalium
Exoptata voluptas.
Mores Teutoniae ac situs
Pulchros cum peragraveris,
Lustratis academiis
Quas intra gremium fovent
Docti climatis orae.
Immensos iterare nunc
Tractus Oceani paras:

---

image: s181

Virtus indigeni laris
Et desiderium trahit
Pernox progenitorum
Ventis carpe viam, precor
Omni parte faventibus:
Nec te quae varie datis
Vexat turbinibus salum
Tempestas remoretur.
Fortunata Sueciae
Tali regna viro, cui
Dat Pallas comitem viae,
Claudunt cum Sophia latus
Ter trinaeque sorores.
At non sic abeas velim,
Convictus ut amabilis
Oblitus, sed amiculos

Absentes animo colens:
Sic te nostra vicissim,
Qui Musas studio pari
Tecum percolimus, canet
Diis notissima barbitus
Sub quocumque rotabilis
Sistas cardine mundi.
Non constantior uspiam
Stat coniunctio, nec favor
Effloret diuturnior,
Quamsi quos lepidae bonos
Musae conciliarunt.

---

image: s182

Nite cura parentium et
Natalis Genius soli,
Ni iucunda puellulae
Nectit forte suavitas,
Aut sperata tori spes:
Dulcis colloquii satur
Nos hic percupidos tui
Stagni cis vada Balthici,
Loeta nave reductilis
Optatusque revisas.



CHRISTOPHO ROEBERSTORFERO Vienensi, nobili et optimo Iuveni, in thermis Austriacis mortuo.

Dum fovet invalidam medica virtute iuventam,
    Ferviduli repetens balnea fontis opem,
Flore suo vernans Eberstorferus et annis,
    Exuit infirmae debile carnis onus.
Si quis et insontis reputet commercia vitae,
    Dignus erat longos exuperare dies.
Si pietas, antiqua fides et gratia morum,
    Mentis et ingenuae respiciatur honos:
Debuit exemplum rudibus praebere, sed orbis
    Haud meritus, vitiis ut caperetur, erat.
Liber ab exuviis aegrae compaginis ivit,
    Qua pia simplicitas regna decusque tenet.

---

image: s183

Est, ubi virtutis laus inculpata triumphet,
    Rara Lycaoniae praemia fraudis erunt.

AD POETAM.

Quod Dominum loeto reducem clangore salutas,
    Proque pio gratus vota Barone facis,
Id probo: nam pietas merito sua praemia carpit,
    Patronis faciles mitibus esse decet.
Illi dum Clarios coetus, dum carmina spectant,

Musica res salua conditione viget.
Inque bonas artes vacat exhilarata iuventus,
Res benefactori perplacet illa Deo.
Loeta viris gravibus late Res publica floret,
Musa regit Sophia docta potente statum.
Hoc decet Heroem, nec laus illustrior exstat,
Gloria nobilior non aliunde venit.
Qui tamen haec parui resonantia praemia pendit,
Quae valet Aonius persoluisse labor:
Transeat ad manes inglorius: omnia delet
Cetera, sint quamvis ex adamante, situs.

CUBITUM EUNTIS AD Christum.

Christe Dei soboles Patris unica maxima, dum me
Somnus et ignavae sidera noctis agunt:
Scribendique fere virtus haud suppetit ultra,
Musa sed abruptum deficit inter opus:
Vado quietifero positurus membra grabato,
Luminaque irriguo tracta sopore premar.

---

image: s184



Hanc animam viresque meas, vitaeque lucernam,
Hoc tibi commendo debile carnis onus.
Dum piger affecto sub pectore sensus anhelat,
Massaque cum mortis languida fratre cubat:
Daemonis insidias et tela cubilitus arce,
Obsitus aligero membra sodale tegar.
Pelle malignantis praesens insomnia Morphei,
Pectora nec vanis ludar imaginibus.
Usque soporatos invadere cogitat hostis,
Armigeros at tu pervigilare iubes.
Fortibus excubiis itidem mea stragula sepi,
Sic ab avernali daemone tutus agam.
Grastina cum loeto se ostenderit intuitu lux,
Laus tua de nostro primitus ore fluet.

Finis quarti libri.

---

image: s185

MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI ELEGIARUM Liber Primus.

AQUILA TYPUS ECCLESIAE. ELEGIA I.

NOn hic Caucaseae simulamina rupis, et illam
Cernis Iapetidae quae iecur urget, avem.
Fictitii fors si qua fuit Iovis armiger olim,
Schema gerit sanctae nobilitata rei.
Est aquila haec Christum turbae profitentis imago,
Cordaque salvifica signat amicta fide.
Aspicis ut saxo subigat curvaminis uncum,
Impos ut obtorti deterat oris onus.

Damna vetustatis fugiens hoc denique pacto
Carpit, et occlusi gutturis ansa patet.
Multa dies apicem labrumque coarctat in hamum,
Pinguibus impediens exta fovere cibis.
Longa labor antis populatur inertia robur,
Debilitatque fames corpus inane mora.
Ne tamen intereat, dum macra doloribus estur,
Vena cadaveribus tracta cruoris agit.

---

image: s186

Ast ubi soluit acum, verrucaque trita palati est,
Deposita stomachi debilitate valet.
Quaeque fuit nuper torpens effoeta senecta,
Alitis ingenium luxuriantis habet.
Haud secus aerumnis Ecclesia pressa gravescit,
AEgraque ceu macie viscera sentit edi.
Quaeque fuit quondam iuvenilibus integra neruis,
Turba sequax Christi facta videtur anus.
Vertitur in rugas et contabescere sensim
Incipit, est virtus, quam fuit ante, minor.
Hausta vetustatis vitio praecordia torpent,
Priscae victus amor strenuitatis hebet.
Cernere defectus ex omni parte videtur,
Quamque sit angusti limitis illa domus.
Luget, at in sese planctum cum voce repressans,
Instar et aegrotae stridula vagit avis.
Ne languore tamen desperabunda labascat,
In pia dum macies ilia dente furit:
Sanguinis ambrosii libamina sugit, et haustu
Se recreat, qualem vita salutis amat.
Et quia cognoscit, quae sint discrimina, si non
Officium faciat vox operata suum.
Cautis ad affrictum, si quid supereminet, aufert,
Impatiens vitii pars quod adunca facit.
Spiritus instaurat supera virtute vigorem,
Confirmata recens clangor in ora venit.
Sic ubi iam vires Iovis integraverit ales,
Dulcia desueti pabula moris edens,



---

image: s187

Acrior innumeros vitam producit in annos,
ultra, vivaces quam potuere viri.
Soli aevum renovare datum est, et ponere morbos,
Rancida quas comites pone senecta vehit.
Omne supergrediens Ecclesia durat in aevum,
Nulla dies illi est impositura modum.
Saeviat in sanctos admissa licentia ferri,
Bile tyrannorum multiplicante cruces:
Perfremat inferni dominator et omnia tentet,
Quae vetus atque recens urget adire furor.
Caetus amatorum Christi sine fine triumphat,
Destruet electum nulla ruina gregem.
Loeta ministrabunt mox incrementa nitorem,

Inque novam pubes reiuvenescet avem.
Indefessa oculorum acies, vis enthea linguae,
Pompaque remigii pulchra volantis erit.
Inclita gratuitae vulgo doctrina salutis
Ultima trans orbis climata rumpet iter.
Regiaque ut volucris lassata cadavere gaudet,
Sic, ubi Christus agit, turba fidelis aget.
Pabula odorisequi praesentit acumine naris,
Et nondum factis caedibus ante volat.
Sic gemit ad Domini reditum vehementur anhelans
Concio, quae Christi numen amore colit.
Pascere loetificis oculos suspectibus optat,
Cum redeat princeps ipse beare suos.
Edite nunc animis vos o pia pectora numen,
Imbellis procul hinc iste veternus eat.

---

image: s188

Eloquio certate Dei defendere caussam,
Lingua nec informi torpeat aegra situ.
State pares contra informis blasphema tyranni
Signa, colit reprobi qui Mahometis opus.
Ite, preces armis creperas miscete parati,
Noster ab invisa gente triumphus erit.
utque Dioneas volucrum regina iugales,
Agmina pelletis barbara Marte pio.
Praepes obaeratum necat heroina draconem,
Invicti statuens alta trophaea pedis.
Addere virtuti comitem se numina gaudent,
Nec labor in ventos, quem Deus urget, abit.



NAVICULA ECCLESIAE. ELEGIA II.

Fluctuat bybernans Ecclesia, quale phaselus,
Quam fera tempestas, quam furor urget aquae.
Hinc paradoxa pluit rector mendacis averni,
Inde tyrannorum percutit ira latus.
Omnia perniciem miseris elementa minantur,
Monstra cavernosae mortis imago fremunt.
Exoritur pavor et fractae trepidatio gentis,
Nec labor est illhic fidere posse levis.
Ipse gubernator tanta sub clade soporem
Fingit, ut ignorans adseruisse pios.
Quid tamen o nimium, socii, trepidare necessum?
Christus in hac ipsa puppe magister inest.

---

image: s189

Ille potens omnes nutu sedare tumultus:
Deserat hoc pacto seque datamque fidem?
Nec requiescit enim, nec soluit inertia lusu
Corda, soporatum non videt ulla dies.
Sint modo qui pergant turbare vocatibus aures,
Imperio Domini monstra marina silent.

IUSTITIA EXULANS. ELEGIA III.

Hospes, in extrema quicumque crepidine muri
Aspicis hoc statuae tela gerentis opus:
Miratusque putas quae sim, quae culpa fugatum
Sub Iove constituat nubificante caput.
Phidiacae non artis opus Rhamnusia dicor,
Nec sto de Pario marmore sculpta Venus.
Iustitiam me turba vocat: venerabile nomen,
Numina cognoscat qui mea, nemo venit.
Me templis coluit; me thuris odore vetustas,
Inque suo pretio cura Themistos erat.
Nam leges et iura tuli, iuxtaque tribunal
Semper honorifica sede recepta steti.
Mecum cana fides aevi consortia iunxit,
Quaeque solet populos pace beare salus.
Nunc miseram violenta foras iniuria trusit,
Sumque per exilium carpere iussa fugam.
Remigium sed enim mihi vis evulsit et alas,
Nec, quo mater iit, fas supera alta sequi.

---

image: s190



Sed vagus imber edit, Niobes ut inutile marmor,
Et mea conspurcans inquinat ora situs.
Auri massa prius, facies modo saxea fingor,
Qualia sint igitur saecula, mole probo.
Bacchus amator opum crateribus innatat aureis,
Vilibus illinitur bractea fulua diis.
Delia venatrix aras et templa meretur,
Cornua stant sacris aspicienda locis.
Inter divitias Comus dominatur in aula,
Et sua cum Genio sacra sodale videt.
Accipitur tectis Venus aurea, mollis Amorem
Inter delicias libaque lectus habet.
Iustitiam pepulere foras, ne gaudia turbem,
Dum sanctis iubeo legibus aequae sequi.
Iura tego, regnisque nefas arcere laboro,
Vindictaque inopes asseruisse reos.
Dum me non facies, non ampla potentia versat,
Neu favor, aequali facta bilance noto.
Haec mihi dexteritas incorruptissima damno est,
Sedibus et gravitas expulit arcta meis.
Dura magistrorum detrectant ulcera tangi,
Regibus invisam me rigor iste facit.
Culpa nec ulla mea est, nisi si culpa esse putatur,
Numinis imperium iussaque certa sequi.
Non loquor humani motus inventa, nec unquam
Edo quod indigetes constituere viri.
Ipsa Iovis decreta fero, ius aethere in alto
A patre docta: sed o vis mea iura praemit.

---

image: s191

Me dictante, Ceres peragratum legibus orbem

Muniit, Aegeriam me vocat ara Numae.
Me Spartana suam movere statuta magistram,
Illa Lycurgaeo publica facta stylo.
Musa Solonis eram, me per memorabile nomen
Aeacus et Minos et Rhadamanthus habent.
Quid moror in paruis? me,qui contendit Olympo;
Quique Deo cupiet proximus esse, colat.
Funditur, ut denso, virtus examine, circum
Oppida, institiam devenerata sacris.
Mecum prosperitas, et pax amplissima rerum
Cum domibus, larga dote salutat agros.
Plura vetant dolor et lacrimae turpisque repulsae
(Hic compensandi mos benefacta) pudor.

ANGELO BONO DIE Poetae natali. ELEGIA IV.

Caste gubernator vitae custosque salutis,
Cui commissa, Deo principe, cura mei est:
Qui honus assertum me damna per obvia servas,
Servitiumque pia sedulitate probas:
Impiger ingentes casus avertis alumno,
Per mala, te sicut numine, tutus eo.
Huc ades et memoris grates evolue minister
Angele, neu spernas vile Clientis opus.



---

image: s192

Sum minor hoc tanti, licet indigus, alitis usu,
Officiis mea nec sors bene digna tuis.
Tu solenne genus, tu spiritus aetheris heros,
Nos tibi collati sordida gleba sumus.
Flamma Dei flammae censors es, et alta propago,
Assidue cui fas ora videre Dei.
Vota ministerio Domini, qui sidera torquet,
Laudibus aeterni digna reperta patris.
Libera te tantum pietas evexit, et in qua
Perpetuo stabilis relligione manes.
Nec potes admissa decus hoc effundere culpa,
Numen amas caste, nec nisi iussa facis.
Usque Dei solium supplex veneraris, et adstas
Imperii servans, obsequiique tenax.
Non ego sum tanti, fecit sed gratia divum
Talis ut asseclae marte fideque fruar.
Compita tu mecum per hiulca pedissequus erras,
Diceris et famulas supposuisse manus.
Turpibus incoeptis ancillatura voluntas
Incautos retrahit, te remorante, pedes.
In caput avertis directa pericula coecum,
Dum sequar, exitium damnaque praeter co.
Arbitrio quoties animi petulanter abusus
Issem praecipites ad mala certa vias?
Dulcia pernicies rupisset stamina vitae,
Membra vel informi clauda fragore geram.
Saepe soporatum Daemon iugulare paratus,
Arma retro versum per tua pulsus iit.

image: s193

Quavis arte pios postit rugitor averno,
    Lora sed immani contrahit arcta Deus.
Secum numen habet, vafra bestia rector abyssi est,
    Plus furor humanis viribus iste valet.
At circumscriptos ultra vim tendere fines
    Illegi prohibent acta capistra manu.
Omnia tentanti sacra turma viriliter obstat,
    Aligera feritas indole victa cadit.
Dive mei custos, tu vim, tu frivola cernis
    Consilia, et lethi larua quod urget onus.
Ardentesque dolos et coniurata nocendi,
    Tela vides, oculis abdita tela meis.
Nec tantum directa vides, avertere certas,
    Ne voto feriant efficiente scopum.
Ictibus hostis ovat, tu fortiter excutis ictus,
    Te, Styx ima potest, excubitore, nihil.
Pro quibus emeriis ac tutelaribus ausis,
    Leniter et sub quo tegmine sospes ago,
Seu superare datur, seu mox dilapsus in auras
    Intuitu pascam lumina clara tui:
Voce tibi grates animoque clientis amoeni
    Quaque facultatis dote licebit, agam.
Usque triumphali,me vate, cieberis eda,
    Tuque tot eximiis vita referta bonis.
Tot quibus edendis praesens haud sufficit aevum,
    Orbis at his operis aptior alter erit.



image: s194

DE PUERPERA EX Apocalypsi. ELEGIA V.

Ergo quid haec Phoebi mulier radiantis amictu,
    Quidve coronatae sub pede Luna monet?
Fallor an? haec populi Christum profitentis imago,
    Ultima cum mundi fabula solvet opus.
Candida lux verbi tanquam Sol splendidus ortu,
    Toto salvificum sparget in orbe iubar.
Scripta coruscabunt ardore prophetica, quantum
    Auctior undeno Lucifer igne micat.
Innumerus regno Christi lucrifiet amator,
    Haec soboles uterum nempe ferentis erit.
Impetus hic Turcam generosi flatibus oris
    Vertet, ut imposito Cynthia calce notat.
AEstuet ipse licet, diras et fulmina ructans,
    Cui tot hiant denis cornibus ora, draco:
Celsa triumphator scandit puer: effugit iras
    Caesareae genitrix flabra volucris habens.
Hoc decus, hoc mundi statuet sub fine trophaeum,
    Illa redemptoris fulta cruore fides.

DE TYRANNORUM insanid. ELEGIA VI.

Vidi ego, qui celeres fluctus prohibere laborat,
Sive tuos Ister, vistula sive tuos:

---

image: s195

Grandibus impensis opus impiger urget et ausis,
Ne solito currat flumen et unda vado.
Cum feritate labor vacuas it inanis ad auras,
Antiquum retinent Ister et Albis iter.
Sic Evangelii si quis vesanus alastor
Curriculum properet praepediisse mora.
Cominus obtendat moles furor obice multo,
Surgat et aggeribus machina structa decem.
Nulla valet contra dios violentia motus,
Et valeat contra debilis ira Deum?
Omnia conatos Rhamnusia praepes ad unum,
Turpiter igniflui trusit in antra lacus.
I age, et immensos montes oppone, tumescet,
Magnaque vis in agros expatiantis erit.
Mille modis aditus caelo vox edita rumpet,
Stent adamante licet septa, negentque viam.
Coepta miser frustra flagrantia perdis, et in te
Irarum illuvies undecumana ruet.
Quam Nero,quam feruens expertus Apostata cladem est
Qui domiti mores, quique Valentis habent.
Lenius in Christi, moneo, bacchare clientes,
Quid tibi pernitiem sumptibus ipse struis?



EPITAPHIUM ALBI SUBMERSORUM, ELEGIA VII.

Si iuvat auditu casus cognoscere maestos,
Fataque flebilibus praecipitata modis.

---

image: s196

Quam nimis exiguo lethi discrimine distet,
Nave receptorum vita, notare licet.
Festus agebatur iuveni baptisma professo,
Cum gravis Albino prora soluta vado est.
Navita suscepit miserum male sobrius agmen,
Ante licet sabulo plena carina foret.
Itur: at impulsu ferit impetus edita pontis
Saxa, latens amplo fragmine venter hiat.
Culpa mali vectoris erat: vix cessimus ultra
In mediis, mersa nave, natamus aquis.
Fluctibus abripimur, promiscua corpora vortex
(Tortilis in gyrum vertitur unda,)vorat.
Poscimus auxilium, pontis spectator ab arcu
Luget, at hei linter nulla secundat opem.
Octo decemque vadis emergimus, hei lacrimandum est,
Corpora lethali plura periisse mora.
O amor atque dolor: arctis amplexibus haerens
Cum sponso rapitur mersa puella suo.
ut iuvenique fuit patulis innexa lacertis,

Talis et in media morte reperta fuit.
Haec nostri monumenta legens miserare viator,
Sic numquam tales experiare vices.

BONUS PASTOR. ELEGIA VIII.

Cum Deus exilio solium mutasset Olympi
Irati fugiens numen Apollo patris:

---

image: s197

Dicitur Admeti regis pavisse iuvencos
Quasque super domini caula premebat oves.
Digna Deo pietas, cura servator herilem
Praestitit incolumem praesidioque domum.
Cura sed et nostri potior tutela magistri est,
(Pastoris titulo nempe redemptor ovat:)
Namque suam pecudem non tantum pascit, ubi ros
Dulce salutiferi gramen odoris alit.
Sed fovet aegrotas proprii virtute cruoris,
Pro grege nam custos sustinet ipse mori.
Adde quod infenso lethi iam dente prehensos
Ad lacrimosa trahi non sinit antra pios.
Manibus ex ipsis raptat credentia victor
Corda,quis huic similem praestat amator opem?
Cedite pastores, quos prima pericula terrent,
Et pavor officio suadet abesse fidem.
Quos studium vecors et mollis inertia cogit
Absque pudore gregem prostituisse lupo.
Haud ego custodis, raptorum nomine dignor,
Qui cum lanicio munera lactis amant.
Cum lupus invadit, contagiaque effera serpunt,
Trans profugi montes flumina transque volant.
Edite praestantes animos statione reposti
Caelite, mercedem cura fidelis habet.

VIOLA, AD DN. HENRICUM Nicardum, Cons. Caes. et curiae militaris Secretar: virum nobilem et opt.

---

image: s198

ELEGIA IX.

Dum violam quae prima nitens exspirat odores,
Chlorigenasque cano, veris amator, opes:
Transfer apricatum Clarii me collis in hortos,
Roscida qua florum ius Zephyritis habes.
Cespitis Hyblei circum me funde sapores,
Floripari satur ut mensis honore fruar.
Tuque mihi, Nicarde, sed haud sine versibus unquam,
Nec nisi cum plausu conveniende, fave.
Care Nicarde fave, quem fata potentia dignum
Arcis in illustri constituere loco.
Unde potes veros laudum decerpere fructus,
Nec tamen hac etiam spernis ab arte cani.

Da vires Geniumque stylo, tibi promit amicum
    Musa parum fausti vatis alumna melos.
Dum sedet exanimes secum meditata querelas,
    Quas tamen aura suo verna lepore levat.
Veris io mihi numen, et o pulcherrime splendor,
    Tuque parens almi terra vigoris ave.
Vos ab humo frutices gravida saluete reducti,
    Unde ferit blandi sensa coloris odor.
Multigeni flores et frons uberrima gemmis,
    Vos nova quo tandem germina more canam?
At te praecipue, quae nos caelestia primum
    Quaerere eaeruleo, gemma, nitore mones.
Iuppiter hoc miserans Io sua gaudia pavit,
    Aemula cum vitulam fecerat ira Deae.

---

image: s199

Quis me nunc Cylicum celer in violaria ponet?
    In Paphon aut valles Enna benigna tuos.
Qua scatebris fontes rigui labentibus ultro
    Sub musci streperum tramite murmur agunt.
Iugis ubi et flabris numquam violanda Boraeis,
    Stat viola, assiduo veris alumna legi.
Aurae spirantes aurae, quas rura pruinis
    Spargere mense iubet Cypria diva suo,
Este, precor, lenes, et odoro parsite flori,
    Quem legit aurigera nostra puella manu.
Et legit, alludens et amori donat habendum,
    Serta mihi o cuivis aequi paranda bono.
Ustus at o quoties decor hic Aquilonibus horret,
    Et languere levem vis facit aspra iubam.
Dum terra se primus agit, neque frigora Martis
    Quasue pluat, metuit Cypria Luna nives.
Prodiga virtutis late spiracula tendens,
    Sensa Palaepaphio plena vapore beat.
Praeproperos cupiens adeo viola edere cultus,
    Saepius a ventis anticipata cadit.
Ipse tepor flori vires animumque ministrat,
    Nec sinit occulto delituisse toro,
Ut caput explicuit, simul halitus aera tranans
    Ad cerebrum blanda proditione venit.
Nuntia stat sociis alta tellure sepultis,
    Aeris invisi praeteriisse minas.
Mox alii properant aliique, meatibus actis,
    Prolificante comas explicuisse solo.

---

image: s200

Sic ubi tempus erit quondam, sub fine dierum,
    Altera stellati regna subire situs,
Corpora deposito languore levabimus aruis,
    Quotquot hic a primo funera mundus edit.
Floris et in morem pulchrum diffundere limbum
    Fas erit, exuta debilitate, piis.
Illa dies loeto cum cardine proferet ortus,

Eximet, hic miseros si quod acerbat,onus.
Cedet hiems, orbisque rigor, spes credula Christo
Dulcia perpetui tempora veris aget.
Nulla reportatos ad amica palatia Solis
Nubila sollicitos sunt habitura metu.
Quos tunc cum sociis plausus edemus in auras?
Quanta salutiferae gaudia lucis erunt?
Urbs ovat hoc pacto, muris ubi diffugit hostis,
Si qua tulit longas obsidione cruces.
Ceu modo laetitia pubes exultat in agris,
Rustica florilegae gens operata Deae.
Invitat novitas exoptatissima rerum,
Exertaeque nitor reiuvenilis humi.
Oscula dant omnes violae, quae prima virescens
Laudandam Veneri protulit orta iubam.
Plausibus excipitur pulcher cum surgit ab ortu
Phoebus, ad Antipodes indecoratus abit.
Primitiis suus exstat honos, haec praepetis anni
Candida virginitas iure vocanda venit.
Tempus to salue, cum tristis inertia brumae,
Et rigor illustri Sole fugatus abit.

---

image: s201



Cum cultu renitescit ager, cum vinea frondet,
Tempus et in morem luxuriantis ovat.
Silva decus recipit, floremque resumitis horti,
Vesca tener pecudi gramina campus alit.
Lacte virent sulci, loeta seges indole ridet,
Dia veni clemens in tua dona Ceres.
Parturit illecebris accensa loquacibus ales,
Et strepitu valles et nemus omne ciet.
Ipse nec alludit tantum tinnitibus oscen,
Uda sub immunda rana palude canit.
Vile genus passer, sed et is sua gaudia promit,
Et quacumque potest aethera voce ferit.
State bonae volucres, quarum meditatio musae,
Me vestris hilares inseritote choris.
Vobiscum iuvat ire situs, qua cantor Aedon
Florida pervigili tesqua canore beat.
Vobis hostis hiems, at non inimicior ulli
Quam mihi: quam longas ab facit illa moras?
Hanc ego temperiem Lenesque teporibus auras,
Invoco lucentem torridus ante focum.
Has rerum mundique vices spe plenus avebam,
Cum mea nimbosum clauderet ora gelu.
Verna revertantur, dixi, Ver utile posco,
Et mea vobiscum iuncta querela fuit.
Facta stat en residis voti sententia compos,
Pulchra triumphali veste superbit humus.
Sensa revertuntur plantis, recipitque vigorem,
Quicquid apricato sub Iove mundus alit.

---

image: s202

Nunc animis alii redeunt cum tempore motus,

Plenior ingenii carbasa flatus agit.
Adsere me comitem, Philomela, sonantibus odis,
Dulce fere nostri nomen amoris habes.
Seu tibi iunctus eam, laudata lyristria, cuius
Musa viatori carmine truncat iter.
Dia coronarem gaudens exordia rerum,
Et lepor hic palmam, me tribuente, ferat.
Mecum blanda comes Philabella sequacibus iret
Passibus, Attalico conspicienda sinu.
Qualis odoratos mecum spatiata per hortos,
Basia cum nobis prima, sed apta dedit.
Lusibus alternis nos indulgere vicissim,
ut videt, ut blandum comprobat Albis opus.
Intuitusque datis pro versibus oscula reddi,
Risit, et Argeliam plenus amore vocat.
Dumque vocat, prono celer impete fertur in illam.
Redditus illecebris loetior ille meis.
Ite voluptates, non huic aequanda voluptas
Ulla, probaturas vos ego testor aves.
Laude creatorem vos divectatis et hymnis,
Omnia qui patrio numine pulchra facit.
Cum Terei sed enim sordes redolentibus alis,
Cum cuculoque mihi comprecor esse nihil.
Hic, quam dulce melos, sua probra libentius audit,
Ille perobscaeni crimen amoris habet.
Veris aves sunto: doctae illaetabilis auri,
Serviat agricolis pinguibus ille canor.



---

image: s203

Nobis dulce situm viridi posuisse sub antro,
Quo sacra vitiferi procubet umbra patris.
Ales et attentas concentibus obstrepat aures,
Qua viola e vivo cespite mitis eat.
Convenit intactae campi flos ille iuventae:
Tristis anus posito torreat igne femur.
Huc revoca Philabella gradus: ignoscite stirpes,
Nescio quid vobis blandius illa fragrat.
Ferre libet pulchro redolentia basia flori,
Quo redit in campum, pulchra, ciente Venus.
Vosque sub herboso gyros agitatis amores
Cespite, laetitiam parta trophaea parant.
Haec hilarare choros facies, haec ludere mandat,
Dulcis et intuitu pascere sensa rei.
Talis item primum nascentis gratia mundi,
Orbis et aspectus parturientis erat.
Stat solenne flagrans opus, auctoremque salutat,
Officii servant cuncta creata vicem.
Gleba rudis terrae pubescit, alentibus herbis,
Luxuriat nullo semine faetus ager.
Undique festiva pinguntur syndone campi,
It toto novitas conspicienda solo.
Exactum quocumque iubar de termite splendet,
Prima dies aevi veris alumna fuit.
Unus homo celsa iam plenus imagine divum,
Constirit erectum fultus ad astra caput.
Ille vias orbis solers et acutus in omnes,

Sensibus atque oculis admovet astra suis.

---

image: s204

Scire potens ortus, leges et foedera mundi,
Qua Phoebe et lucis publicus auctor eunt.
Caelorum imperia et formas et numina novit,
Qui supera regnent in regione duces.
Summa recursando si quos fecere meatus
Astra, sagax animo pervolitante notat.
Quo ruat axe gelu, quo cardine nubilus imber,
Quae domus austrorum, quave pruina meit.
Nesciat haec sapiens animus miracula caeli,
Notus inaccesso cui fit igne Deus?
Ipse sator rerum manifesta in luce tuendi
Ius dedit, ac liquida voce cupita loqui.
Subiecitque feras domino, quibus entheus heros,
Nomina naturae gnarus amica ferat.
Rebus hic affixit monimenta perennia, solers
Corpora quid teneant illa vel illa boni.
Quis vigor in saxis, quae stirpibus insita virtus,
Qualis ab innumero germine succus eat.
Grande magisterium: sed et hoc sapientia regi,
Altaque sidereae lucis origo dedit.
Ante pedes violam de cespite primitus ortam
ut videt, ut lepido stamine loetus ait:
Macte tuis ergo, bone floscule, viribus esto,
Semper et hoc ipso mense resume comas.
Candida temperies anni nunc: ipsa quotannis
Temporis augurium suave comantis habe.
Natali properaque tuo nascente renasci,
Loetaque primogeno sis et amoena die.



---

image: s205

I decus insertum virtutibus edere pernix,
Iucundi cerebro funde saporis opem.
Te petat intexens olim pulcherrima serto
Progenies, neptem gente professa meam
Omen in eventu est. quota non campestria lustrans,
Germen id impositum gestit habere comis?
Ergo voluptatum quis me nunc ponet in horto,
O in terrigeni regna parentis Adae?
Ornamenta viri maiestatemque recentis
Aspiciam, nemoris prolificumque decus.
Integra fas rerum coram figmenta tueri,
Cumque atavo voces iungere, divus ero.
Aut aliquis ducat me per Solomonia Tempe,
Tempe deliciis nobilitata suis.
Qua Rex illustris Sophiae vestigia pandens,
Naturam ingenii perterebravit acu.
Acer et a cedro, per olentis balsama ligni,
Vilis ad hyssopi germina censor iit.
Differor optatis, et vota volantia quovis,
Non profecturo turbine ventus agit.
Ire animis quo primus Adam, quo regius ivit

Ardor, ab hoc aevi res aliena statu est.
Vita secuturi post ultima saecula tractus,
Ingenii compos divitioris erit.
Haec super auspicio floris, Nicarde, iubebant,
Pierides numeris implicuisse suis.
Pierides tacite quae te venerantur, et ultro
Notitiaeque vacant obsequioque tui.

---

image: s206

Et meminisse iuvat vitae genialter actae.
Inter communis vina dapesque peni.
Nunc me ripa tenet divi qua Caesaris arcem
Metropolimque secat Molta Boemus aquis.
Tempore cum violam mollesque comas hyacinthos,
Primaque narcissi germina Maius agit.
Flamine spirantis Zephyri mulcentur olores,
Haud secus augurii spe melioris alor.
Nec plus obstantis fati ludibria curo,
Quam seram Veneri myrtus amica nivem.
Esto bonus, musamque meri, Nicarde, favoris,
Candor et inscribit quod tibi priscus, ama.
Sic bene fortunam vitae cum cursibus aeques,
Incolumi tribuat nec nisi loeta Deus.



ELIAE HUTERO V. CL. ELEGIA X.

Annus hic exactis qui cursibus urget in orbem,
Iam finemque suum paene volutus habet,
Fatorum tibi nevit opus non undique loetum,
Pluribus eventis res labefacta tua est.
Frivola nec saltem bona sustinuere tumultum,
Demta iacet cordi portio magna tuo.
Filiolo pater infelix viduatus Elia es,
Ista novercalis prima rapina deae.
Invida surripiunt genitorem fata, beatis
Spectatum meritis et pietate senem.

---

image: s207

Scilicet immensum peperit iactura dolorem,
Improba sors illa si satiata foret.
Dulcia filiolae quoque gaudia perditis Annae,
Crevit inexhausto matris amore dolor.
Blandula maestorum spes deliciaeque parentum,
Et desiderii flammula dulcis ubi es?
Bella iaces aetas: ab tantum parcere nosset,
Parsisset teneris Parca severa genis.
Sic rosa praecipitat, florem sic candida perdunt
Lilia, flaccibilis sic hyacinthe volas.
Quam subito violas decor et fragrantia linquit,
Sic cadis hei crudo massa pusilla die.
Intueor picta quoties in imagine vultus,
Labitur ex oculis stilla soluta meis.
Illa quidem illustri caelestia luce tuetur

Templa, nec est aetas gratior ulla Deo.
Comis ubi cum fratre suo, cum gente coaeva,
Dulcia in amplexu iubila plaudit avi.
Gaudia nec terrae desiderat amplius: at nos
Plenus adhuc miseris luctibus orbis habet.
Stant tot ubi casus et tot discrimina rerum,
Quot non in numerum supputet una dies.
Et quid amicitiae memorem tibi lege propinquos?
Maesta sepulturae quos Libitina dedit.
Donec Caesarea procul hinc nos inclitus aula
Detinet Austriacae notior Ister humo.
Unus tot lacrimas, unus tot gignere clades,
Annus, acerbata conditione, potest.

---

image: s208

Solveris in fletus, vitecula stricta coloni,
Falce velut teneris vulnus adimplet aquis.
Quamvis interea motus ostendere fortes,
In media rerum tetricitate vales.
Ergo tot aerumnis aequas opponere mentes,
Fallor an? est animi non mediocris opus.
Quod sors atra ferat placide superare ferendo,
Ingenio vis haec a sapiente fluit.
Nec tamen assiduo quassae res turbine nutant,
In varias abeunt omnia nostra vices.
Mira viros fortuna rotat mutabilis aevi,
Sed tenor in melius cuncta volucris agit.
Triste subit, factae tot cernere fulmina cladis,
Perdere tot cordis pignora triste subit.
Cum ruit immitis vesana licentia fati,
Mole gravi turgens et decumana ruit.
Nempe maritorum sunt haec monimenta piorum,
usque comes dulci crux et amica toro est.
Dura pati, fautore Deo, quis abhorreat illex?
Legitima pugiles in statione sumus.
Vis invicta malis postquam superavit agonas,
Auferimus brabium laureolamque Dei.
Tempus erit, quos vita parat, dediscere casus,
Et Paeana Deo clangere tempus erit.
Annus hic aerumna quod acerbum movit, id omne
Cursibus utilior corriget una dies.
Gaudia pro lacrimis earpes, successibus edens
Caepta secundatis, quae modo lenta manent.



---

image: s209

DEO VOLENTE VOLO: Symbolum Nicolai Reichelii, viri in aula Caes. ornatiss. ELEGIA XI.

Velle volente Deo, sursum virtute volantis
Reichelii tereti tessera voce monet.
Irrita cernit enim ferri bona, si qua voluntas

Prodere, non aliquo numine freta, parat.
Divolitant animis omnes ingentia nisi,
Quoque licet sensus acris acumen agunt.
Dissimilis gliscit studii contentio: dispar
Flagrat amor curae cuique libido sua est.
Dum Genio levitasque trahit sua quenque sequaci,
Quolibet in nihilum caepta volentis eunt.
Armigeris orsos manibus rescindere Olympum,
Tortile praecipites fulmen et ira dedit.
Vel sine diis dare victorem temerarius Aiax
Iactat, et en armis occubat ipse suis.
Summa petens aliquis, feruentibus excidit ausis,
Datque retenturis nomina mersus aquis.
Unicus huic uni non sufficit orbis: at inter
Conatus iuveni parca severa venit.
Vinceret ille Midam votis, votique potentem,
Taedia cum certo mixta dolore premunt.
Artis et ingenii gliscentis hic explicat alas,
Et sine profectu, que negat aura, micat.

---

image: s210

Nempe sui ludit quondam fiducia, si qui
Non didicere, Deo, velle volente bonum.
Nulla secundari, quamvis ardentia, possunt,
Ni rata, coepta, Deus iusserit ipse vehi.
Illa velis igitur quae vult deus, alite cedent
Plausibili, eventis terminet ille modum.
Aequa volunt superi, nos frivolus implicat error,
Nostra quot o coecae pectora noctis habent?
Sola voluntatis propriae consulta creator
Reprobat, hoc nutu nostra beante valent.
Reichelius studiis insigne virilibus explet
Musa quod egregia, symbolon, arte refert.
Mentis ad instinctum saltem mediocria spirans,
Quaeque probaturo novit amica Deo.
Velle Deo quicumque suum substernit, is olim
Clarus inoffenso scandit in alta gradu.
Impiger invidiam remor antesque ardua morsus
Despicit ingenti marte, volente Deo.
Utile consilium, monimentaque dia notatu,
Et plus ergo boni lemma saporis alit,
Quam succincta brevi comprendere musa libello
Possit, amicitiae quamlibet illa vacat.

AD D. ANDREAM EBERSTORFFERUM Medicum V. CL. ELEGIA XII.

---

image: s211

Musa parum forti ne qua torpore dehiscens
Turpiter, aut curis facta feratur iners:
Usque movens aliquid meditatur, (ut ilia rumpat
Livor) et in fati tetricitate canit.

Mancus eram, nosti, claudum em fecerat humor,
Ille necans aegra pestilitate pedes.
Seu tamen est sanies inimica sub artubus haerens,
Crassior aut aliquis spiritus intus agit.
Haec quoque nuper enim mihi venerat hospes, ut atrox
Ossibus et neruis insinuaret onus.
Hospes an hostis erat, non est discernere promptum,
Loripedem certe reddidit illa gradum.
Ac velut articuli si quos violentia luxat,
Tunsaque praecipiti membra fragore micant:
Haud secus enerves dolor improbus undique plantas
Urget, et anxietas motibus inde venit.
Pervia planities, cursu levissimus olim
Iam velut inversa, trames, inhorret acu.
Omnia sunt silices, crepidae, soleaeque solumque,
Nec mollem patitur pars odiosa manum.
Tormenti genus, et quo vix immanius ullum
Eruat aerati carnificina bovis.
Quo tamen illuvies, inquam, vitiosa Poetae?
Vix alo Pieriam, sat miser ante, colum.
Appage: qui rerum, quas expetit usus, abundant,
Te turgente valent exposuisse toro.
Teque cothurnicum farcire salubribus offis,
Ponere et affecto fercula nata pedi.



---

image: s212

Accipiant illi te scilicet aedibus amplis,
Haustaque languidulae gratificata ferant.
Haud me deliciis, pompa neque dignor, et isto
Luxuriae pretium quod gula farta parit.
Cruribus infractis me convenit esse, remotum
Nuper in Hesperiam sum meditatus iter.
Hic amor, hae curae: frustra sed in omnia vertor.
Nam per agit solitas pestis amara vices.
Adde quod aerumnam, dum promovet, asper at, ultro
Scommatibusque novans alloquiisque cruces.
Ergo beatricem sic aversaris, ut illi
Efferus hospitium notitiamque neges?
Ditibus optatam meditor tibi nempe quietem,
Quaeque sit emerito parcere docta pedi.
Si Genium nosti, quoque me novisse necesse est,
Hunc comes insequitur certa podagra ducem.
Ante meos aditus quae crebra pedisseque venit,
Te solita illecebris exhilarare fuit.
Has quod amicitiae quandoque receperis usu,
Quomodo nunc diras carnificesque vocas?
Ira suo cunctas penetrans ardore medullas,
An non est animo nota frequensque tuo?
Vina quoque inter dum tibi largius hausta recense,
Haec quibus occultae glarea calcis inest.
Fallor an? optatis amplexibus oscula miscens,
Gazula et est aliqua parte recepta tui.
Nomen habet caussas morbi, si forte requiris,
Omnis ab Idalia Cypride Teuto vocat.

---

image: s213

Qui venit haec cordi iucunda licentia rerum,
Me, quia sectatrix sum gregis huius, amet.
Ringeris indignatus, at haec praeludia tantum,
Vix in vestibulo turba recepta sumus.
Ringeris, decimo cum venerit impete tortor,
Morbus et in cunctis ossibus asper erit.
Sic me dira loquax irrisibus angit adactum,
Candescitque lues imperiosa ioco.
Ast ego: quae memorare potes, quaeque obdere contra
Haud recolo, nec, quae praeteriere, moror.
Gaudia cesserunt, quoque tu discede, nec ultra,
Cruri fragra neruos perditione grava.
Nec mihi sementem morbi postcaenia fingas,
Caussa nec in lusus transeat ulla meos.
Insperata boves et oves contagia sternunt,
Quos mera cum liquido gramina fonte iuvant.
Deficit aerisonus mediis in cursibus Astur,
Quid, nisi cum faeno farra, caballus edit?
Instat atrox hostis, talosque viriliter exest,
Ausa vel ad summum tela vibrare genu.
Iamque videbatur, regno gavisa perenni,
Ius id in articulos obtinuisse mora.
Cum mihi vel virtus, vel certe audacia robur
Suggerit, aut aliquis vellicat ora pudor.
Ante bonum pedibus, quis me nunc alligat, inquam,
Languor? an huic vitio succubuisse velim?
Milia tot caempi cursu peragrasse volucri,
Et stadium toties corripuisse piget.



---

image: s214

Poenitet: Augustam pedes hinc, ultraque tetendi.
Est mea post agilis terga relictus equus.
Saepe solebamus celeres praevertere currus,
Nulla fuit plaustro cura trahente vehi.
Propria desidiae sunt instrumenta quadrigae,
Dicere, despiciens esseda, suetus eram.
Ite mei quondam pedites, contendite prompti,
Praga vocat, celeres experiamur iter.
Praga sui sedes exoptatissima regis,
Quem mea lis aequam caussaque poscet opem.
Longum iter, et quod vix bis tertia finiet Eos,
Tardigradae fuerit ni seges acta luis.
Huc ubi perventum, tectis Rex degit in altis,
Mille per extentos itur ad illa gradus:
Numen in arce sedet, qui numinis expetit usum,
Huic arx acclivi est aggrediunda iugo.
Sublimes in equis satrapae regalia scandunt
Limina, nos solidis passibus ire decet.
Nos equites quoque enim, solo sed nomine, grandis
Illa Poetarum laurea serpit humi.
Sic iter ingressus iactua pernice probavi
Crura, licet variis turpiter aegra modis.
Sic iter inceptum quarto finivimus ortu
Solis, et est oculis Praga revisa meis.

Publica nec mundi lux emetitur Olympum,
    Quin semel atque iterum regia tecta petam.
Sic miser accipio vementis torumina morbi,
    Dira nec est alio res ea more capi.

---

image: s215

Evolat infelix, ut sese obtruserat, ultra
    Nec petit in tali nidificare sinu.
Venerat huc tortrix, at enim lacerata recessit,
    Ad genus Antipodum comprecor usque volet.
Qui cupit informi medicamina certa podagrae,
    Exigo tot mecum milia cursor eat.
Nec quis delicias, neu quae fomenta requirat,
    Est dolor impendens hac abigendus ope.
Haec obiter: nec, quod trahea curruve, putabis,
    Vel conductitio sim rediturus equo.
Ne devota lues et vis inimica recurrat,
    Omnis mollities eicienda gradu est.

AD EUNDEM. ELEGIA XIII.



Clauda lues iterum talos mordace terebrae
    Vexat: io remove dira petulca faces.
Aufer acerbantes lumen vitale furores,
    Trux dea, iam satis est ante superque mali.
Seu dea, seu tandem Parcarum sanguinis una,
    Plutus in obsceno quas Acheronte parit,
Corporis humani flagris torquere meatus,
    Esse molestorum carnificina pedum.
Non ita Tisiphone tenues grassatur in umbras,
    Quas face viperea, quasque flagellat acu.
Ceu lanio Titius miser intestina rapaci
    Praebet, in assiduas mox rediviva cruces:

---

image: s216

Sic requies haud ulla datur stridentibus agris,
    Dum vacat in dirum parca pedestris opus.
Tolle cathenatos, Eberstorffere, dolores,
    Si potes, aut leni, quod furor urit, onus.
Ad te confugio et supplex tua pharmaca posco,
    Dirigat o praesens, artis, Apollo manum.
Ille Poetarum qui se profitetur alumnum,
    Et medici partes auxiliator agit.
Iam testudineo meditor procedere passu,
    Fertque laboranti furca bicornis opem.
De cruce suspendit corpus delumbe sub alit
    Pertica luxato parcere docta pedi.
Nec tamen admittit motus dolor efferus ullos.
    Sed super obeversas ire videmur acus.
Non facit officium repetito tibia passu,
    Quo tot inexhaustus milia cursor ii,
Artubus ut tritis Phaedrae privignus anhelat,
    Quem male currentes diripuere rotae:

Sic fragmenta crepant urgentia morsibus intra,
Trita velut magnus ruperit ossa fragor.
Quis tamen hoc antris monstrum produxit Avernis?
Plenior Eumenidum forsan ut ordo foret.
Tot Pandora malis implevit atrocibus orbem,
Quot mala vix numero computet una dies.
Deerat inviso facies haec una triumpho,
Quae claudos faceret verberis igne viros.
Non tamen hoc veteres scelus agnovere Latini,
Romula quod nulla natio voce notat.

---

image: s217

Nec dedit huic pesti felix Germania nomen,
Si quod habet, Graiae gentis ab arte refert.
Cui sua fecerunt molles agnomina Graeci,
Cur loca mutata, nostra, parente petis?
Quidue tibi tortrix immansuetissima mecum?
Non mea splendenti mensa parata gulae est.
Nec mihi delicias et lauta repotia posco,
Qualia morborum pabula luxus amat.
Otia nec sector, nisi si qua vacentia musis
Indulgent operis, Phaebe Poeta, tuis.
Ipse nec enervat vires uxorius ardor,
In thalamum penetrat non Venus ulla meum.
Non insanus amor iuvenilia robora frangit,
Ira furore licet multa volante redit.
Hunc ego non possum studiis avertere morem,
Res levis in rapidae fulmina bilis abit.
Nec refero monimenta nepos gentilia, portat
Morbus hic ex atavis nulla trophaea meis.
Ipse pater, lustris decies ac pluribus actis,
Alcoranicolum miles in agmen iit.
Grandis erat, nivibusque comas infectus ab aevo,
(Aula senescentem Regia novit) avus:
Integer et nullis vitiatus membra podagris,
Cum sacra Wolffgangi viseret ossa pedes.
Ossa iugis adeunda feris et vertice duro,
Norica qua salsus torminat arua liquor.
Maternis profitetur idem non degener ortus
Sanguis, ad extremos si repetatur avos.

---

image: s218

Si tamen exquirenda novae tor tricis erigo est
Quaeque sit exortis caussa caputque mali:
Noster id invisae totum dolor imputat urbi,
Hispida cui rigidum spicula tergus arant.
Cui ne perpetuum Rhamnusia vulnus inurat,
Tincta verecundo musa pudore vetat.
Hic ego, discentes dum cultibus imbuo rectis,
Immodicum faciens arte magister opus,
Motibus exactis cum dura molestia cessat,
Talia contritus vina labore bibi:
Lurida quae teneris coementa sub artubus abdunt,
Ultima pernicies gressibus unde venit.

Adde quod hic rerum vitiis primordia rancent,
    Aura, solum putei semina pestis alunt.
Foetida tota, cibis laticem quae praebet et offas,
    De bufonipara ducitur unda lacu.
Turbidus est nebula stagnisque palustribus aer,
    Is vapor in morbos soluitur inque gelu.
Pro nucis Ausoniae foetu pro mitibus uvis,
    Baccas fullo rubi cornaque dura legit.
A fame securos oleris vindemia praestat
    Indigenas, teneris fructibus ora caret.
At non ulla pedum citius retinacula soluunt,
    Aut praesente magis toxica peste nocent,
Quam Phlegethonteo medicatum sulphure Bacchum,
    Mixta vel obscoenis faecibus hausta dari.
Limpidus ingluvie procerum praecerpitur humor,
    Relliquiae venum civibus urbis eunt.

---

image: s219

In nova transformat veterem mistura Lyaeum
    Mustea, pars artis venditor illa tuae est.
Hi sunt quos pariunt urbi monopolia fructus,
    Sic agit arbitriis curia freta suis.
Approbat ebrietas sullonia quidlibet: esto,
    Agricolamque labor faecis acore levat:
Haud genus omne virum limo provenit eodem,
    Pasta perexili puluere creta sumus.
Nec mihi conveniunt, si quae venalia plebi,
    Pravus in obscuro fornice caupo liquat.
Novi ego qui veterem Bacchi suspendit amurcam,
    Inde superfusa cola replevit aqua.
Quique reluctatur lotis e sordibus humor,
    Sentinam reliquis intulit iste cadis.
Melle saporatis idem superimbuit undis
    Vina, volat toto res ea nota foro.
Ne referam nivei lactis quot adulter in aegrum,
    Simplice pro Baccho, dolia, vulgus agat.
Haec adeo constavit opes versutia grandes,
    Quas tamen infami possidet ille nota.
Ipse magistratus satis haec scelera edita novit,
    Cura lucri partes dissimulantis agit.
Commoda privatae cedunt communia frugi,
    Poenaque consortes criminis una manet.
Sulphuris inferni flammas sorbebit obustus
    Caupo, senatorum conscius ordo picem.
Hinc nostri scaturigo mali, validique vigoris
    Fluxit ab hoc uno prima ruina lacu.

---

image: s220

Iamque novas sedes caelumque salubre tenebam,
    Mutato vegetus liberiorque situ.
Cum me vah hominum raptor Caucus egit eodem,
    Rursus ut instauret pestis alumna vicem.
Et quod conveniens in me correxerat aer,
    Vertat in antiquum noxa locusque chaos.

Corruptae natura plagae per corpora tranat,
    Pro libitu varians exuperata suo.
Herba soli vitio quondam translata laborat,
    Quaque sedet, fundi carpitur arbor aquis.
Marchia me caelo genitum nutrivit amoeno
    Dives, ad aetatis bis duo lustra meae.
Quatuor aut plures illic exegimus annos,
    Qua labefacta movens arua Silesus arat.
Dum me Dresda nitens et Lipsia dulcibus oris
    Alligat, a decimo tertius annus abit
Nulla tamen regio nostra famosa podagra est:
    Orta nec e potus damna rigore queror.
Ister amice tuas vites, tua munera laudo,
    Illaque Pannonicis hausta creata iugis.
Omnes indigenae quae cum fortissima dicant.
    Corporis ingenio nil nocuere mei.
Urbs igitur nostri certissima caussa doloris,
    Haec mihi pro fida praemia merce refers.
Hic operosa pii statui monimenta laboris,
    Tu nostrae titulum debilitatis habes.
O scelus atque nefas, o non nisi digna vocari
    Vitae pernicies exitiosa meae.



image: s221

Heu Nemesis, quid adhuc poenam cunctata retardas?
    Numinis huc totis viribus usa veni.
Effuge desertos mecum gens advena tractus,
    Quam generat teneris aura benigna plagis.
Toxica pro vino carpis; Ganymede scelesto,
    Nec sine praesenti clade bibuntur aquae.
Expertus queror, et nimium post propria sero
    Damna, necaturos, clamo, cavete situs.
Ad tua nunc igitur consulta revertor, amice
    Doctor, et ad vires, herba magistra, tuas.
Quicquid in arte bona possunt promittere musae,
    Huc precor in cumulum candor anicus angat.
Nulla parum memores unavam nos arguet aetas,
    Perpes Apollinei fama laboris erit.
Nec tamen, ut diris angar cruciatibus artus,
    Aegraque tormentis utraque planta gemat:
Tam validus misero quisquam persuaserit auctor,
    Ut genitiva scabra forfice membra secer.
Cous enim nerui cassos virtute virilis
    Vexari podagrae, doctor, acore negat.
Perdit et oblectat Veneris iucunda voluptas,
    Hanc ego tardigrada cum lue malo pati,
Quam dulces nescire tori stipendia natos,
    Quaeque maritalis gaudia candor habet.
At si posse malo ratio praecisa mederi est,
    Quamque miser foveo specula litus arat:
Huc ades, alloquio saltem solare iacentem,
    Instar habet medicae sermo fidelis opis.

---

image: s222

Dum loquor et nugis abigo momenta, videtur
Lenius et levius membra ferire dolor.

EIDEM D. EBERSTORFERO Medico praestantissimo. ELEGIA XIV.

Visus eram dubia sub luce reposcere somnos,
Herculis Eoos cum cit alumnus equos.
Iamque labascebat placidae palpebra quieti,
Ecce petens aditus astat Apollo meos.
Atque ait: interpres summi Iovis atque deorum,
Perfer ad insignem nuntia missa virum.
Vade age, parua via est: Quo me, quo miseris? inquam
Non ego sum Maiae filius atque Iovis.
Phaebus ad haec ridens: igitur talaria gestans,
Cur caduciferi signa volucris habes?
Non hae sunt agiles alae, sed vincula, dixi,
Obsita compedibus cruscula vinxit Amor.
Factus Acidalio quia sum fugitivus Amori:
Perge, brevem carpes, inquit Apollo, viam.
Quo tibi non licet, huc fas ire pedestribus odis,
Haec igitur nostro nomine iussa feres.
Dignus in eximiis Eberstorfferus haberi,
Natali est hodie pulcher ovatque suo.
Nos Antenoreis quem nutricavimus hortis,
Paeonii doctum mystica sacra chori.



---

image: s223

Quicquid habent operum monimenta sagatia frugis,
Phillyridae felix aemulus ille sapit.
Exercetque manu solerte viriliter artem,
Quae vacat in laudes ars operata meas.
Ac quia me teneris sancte veneratur ab annis,
Praemia pro cultu iure petita refert.
Mille potestates radicum novit et usus,
Pharmaca quaque velint dexteritate regi.
Scit bene salvificis panacaea valentia succis,
Quaeve sit ambrosii nectaris herba capax.
Hinc ea corruptis medicandi certa facultas,
Et validae virtus ingeniosa manus.
Huic igitur faustum, me vate, precaberis omen,
Stant rata natali vota soluta die.
Si quid habent alto, virtutis, euntia tractu
Sidera, et aurato quae vocat axe iubar.
Digna coli medico lux haec: medicator ab ortie
Delius et Chiron convenienter eunt.
Altius auspiciis sese vulgaribus effert,
Quem meliora situ signa favente beant.
Grande magisterium maturis exiget annis,
Qui vel adhuc iuvenis tam sapienter agit.
Me duce, pestiferum morborum proruet agmen,
Sentiet optatam debilis aeger opem.
Huic sua committent aegroti corpora reges,
Largaque pro certa dona salute dabunt.
Nota fides pietasque viri, qua sidera pulsat,

Nomen ab interitu non patientur edi.

---

image: s224

Usque reservabit viridem per saecula palmam,
Divitis ingenii salvificaeque manus.
Et quaecumque parant meritis a funere laudem,
Docta secundato musa favore dabit.
Haec superum benedicta datasque ab aruspice sortes,
Pro calami referas more Poeta tui.
Auguriumque meo felix gratare nepoti,
Per natalitiae gaudia lucis opus.
Esse Poetarum communia numina nosti
Cum medicis, motus utraque musa mei est.
Nec nisi pura Deus verax oracula promo,
Quaeque per effectus sunt valitura suos.
Dixerat: intentos visus cum voce relinquens.
Cumque Deo liquidae fugit imago rei.
Et iam clara nitens alto fulgebat Olympo,
Caelitis Andreae nomine festa dies.
Haec eadem monuit dubium, non omnia, pulsans
Si qua soporatos, visa, carere fide.
Accipe nunc ergo quae non tibi scriptor Abelus,
Ipse sed haud fallax augur Apollo dedit.
Approbet eventum laetatus, et omina firmet
Auctorem medicae quem profitemur opis.
Ille returrentes hilaro tibi sospitet annos,
Detque maritali pignora bella toro.



DE THERMIS AUSTRIACIS, adeundem D. Eberstorff. ELEGIA XV.

---

image: s225

Nympha saporato quae tingis alumine fontem,
Unde salutares eliciuntur aquae:
Nobile nympha genus, medicae virtutis asylon,
Vena medullari cuius ab igne calet.
Cum tibi sint vires, quas exterus hospes Olympo,
Accolaque indigeno turba canore vehit,
Tollere pallentes per inertia corpora morbos,
Aut ubi scabrities asperat aegra cutem.
Prolis amatrices seu fecundare puellas,
Et dare felici pignora cara toro.
Nunc, age, praestantem te promere posco scatebram,
Neu tua, quam ructas, unda feratur iners.
Ede salutiferos mitissima Nympha calores,
utile prolifici profer acoris opus.
Dum bonus auguriis Eberstorfferus ad amnem,
Tingere Paeonio membra liquore, venit.
Ille sacra late notissimus arte medendi,
Nam regit artificem doctor Apollo manum.
Ad latus incedit decus, ecce, iuvencula matrum,
Uxor honorati pulchra corona viri.

Par bene conveniens, ex quo laudabile morum
    Debuit exemplum sumere vita biiux.
Difficilis sobolem sed adhuc natura negavit,
    Haec est feminei prima querela gregis.
Nympha trahens ortus imae telluris abysso,
    ut calidi arbitrium iusque fluentis habes:
Accipe suffitu iuvenilia corpora molli,
    Prolificaque duos fertilitate bea,

---

image: s226

Blanda maritorum ne sit sine fruge voluptas,
    In spem sed generis convenienter eat.
Effice, quae cursus fors huc suscepit inanis,
    Insolito redeat loeta tumore domum.
Si potes, et nondum vis exantlata lavacri est,
    Famaque fictitia non tibi laude favet.
Huc ades, et totas effunde vigoris habenas,
    Materies ope non dignior ulla tua est.
Confer, odoratis dum eliciantur in undis,
    Fomitis intus alit si quid origo boni.
Quicquid habet succi fornax occulta salubris,
    Huc, age, laxato bulliat omne sinu.
Haec fecundantis pariet tibi nomina rivi,
    Res eadem plausus ansa recentis erit.
Ad tua formosae properabunt balnea nuptae,
    Quas matres fieri caussa molesta vetat.
Ductantes secum sua gaudia certa maritos,
    Quo referant utero dulce parentis onus.
Neu te salvificae pigeat virtutis in illas,
    Grandior hic omni est arte fideque dolor.
Quoque magis gracilem sexum sors orba fatigat,
    Hoc operae pretium pulchrius inde feres.
Quid tua praestantes memorem consortia nymphas,
    Quas facit e superis ille vel ille graves?
Crede mihi, cogit quae numina vestra cupido
    Gignere, nostrates plus invat illa nurus.
Non tamen in quasuis opus est suffiminis usu,
    Sponsa nec auxilii quaelibet huius eget.



---

image: s227

Novi ego, quae peperit, quam nupserat ante, sed istud
    Symbolon eximiae fertilitatis erat.
Talibus a sponsis claudas fomenta licebit,
    Oppositaque premas pharmaca dia sera.
Prome bonos aestus, vi casus amantibus obstat,
    Non bene dispositis et medicare locis.
Veceris optati si me, ceu spero, potentem,
    Nobile thermarum quae moderaris opus:
Non ego te mutis celebravero versibus absens,
    Ad tua feruentes regna vehemur aquas.
Haud mea defectu gignendi cura laborat,
    Hausta sed infirmis cruribus apta peto.
Pes facit optatae Veneris me rebus ineptum,

Hanc properes furiam demere, fortis ero.
Reiuvenescentem me Gazula, pristinus ardor,
Accipiat tepido calfacietque sinu:
Suffultum renova mirabitur indole robur,
Tam Ionga nihilum consenuisse mora.
Si quid amica valet musis industria, per me
ultra Sauromatum litus agere stylo.
At tu vota prius pro castis fusa maritis
Exige, post alio sedula transfer opem.
Fautorem redituque meum felice saluta,
Fluminis effectu, nympha benigna, tui.

AUGUSTINO A LIDLAU, V. nob. et ampliss. ex itinere domum reverso.

---

image: s228

ELEGIA XVI.

Lidelius Musis vehementer amicus, amica
Cum Iuditha rediit, par geniale, domum.
Gratulor incolumi, neque me spes irrita lusit,
Arguor eventu, vota ferire Deum.
Haec quia nuper erat votorum summa meorum,
Lidelio bene sit tempus in omne meo.
Vivat io, musisque diu se praestet alumnum:
En iubet optatis numen inesse fidem.
Stant rata dicta: nec hoc pacti servantior alter,
Quive minus falli spem bonitate sinat.
Edite gratificos, musae mea numina, plausus,
Clangor ovabundo gutture dulcis eat.
Pangite quod repetens impulsa reciprocet Echo,
Voce repercussum pocula murmur agant.
Serta virent, stat opimus abax et Iacchus in auro,
Lauta reportato coena triumphat hero.
Inter honoratos Eberstorferus amicos,
Dives Apollineae gloria classis adest.
Ille, Machaoniae sacra, quem; mysteria gentis
Pallas in Aoniis vallibus ipsa docet.
Non ut aromaticas hic cuiquam praebeat offas,
Nemo saporati magmatis usus habet.
Sed mecum reduci vultus ostendere, quales
Cultor Oresteae simplicitatis amet.
Se quoque Martinus comitem gratantibus addit
O mihi sincera pectora nota fide.

---

image: s229

Este susurrones; semissis turba, remoti,
Inter nos Charitum candidus ordo sedet.
Tuque, soles gestus qui carpere toruus amoenos,
Udaque liberuis vespera si quid agit,
Livor abes: tuque o abstemia ruga Catonis,
Non datur hic stomachum quae ruvet esca tuum.
Neu facit huc quem Clitoria fons imbuit unda:
Una tamen, Como non renuente, veni.

Quae licet Ausonias matres imitaris aquando,
Cuncta soles lepidis vivificare iocis.
Ecquod erit tempus, numero cum ludat in illo,
Cuius in amplexum liber amator eam?
Musica dulce bonum, quid adhuc tardata moraris?
Hinc operae pretium barbitos icta feret.
Tende findes, bone vir, Pygmeae matris alumnum,
Huc Palamedeae quem tulit ala gruis.
Lidelio geniale parat domus hospita festum,
Omne penu domino, quod remearit, ovat:
Nosque reductitio faciles gratamur amantes,
Cura vale, mentes exhilarante mero.
Scriptor ego musa plausus stimulante ciebo,
Inter, amabilior, pocula versus abit.
Ludamus, sunt hic etiam sua praemia ludo,
Cras redeat, si quis seria lector amet.

IN DANUBII PERICULIS ad Deum.

---

image: s230



Angustae e latebris animae tua numina supplex
Posco, sali freta quo mota nuente silent.
Respice me tristemque statum trepidumque clientem,
Talibus exsequiis ne patiare mori.
Dum me fluctus atrox glaciesque resultibus urgens
Tundit ad afflictae lintris utrunque latus.
Fragmina voluuntur, crepit aestibus Ister anhelans,
Nec retinet quamvis trusa phaselus iter.
Imus et abripimur quo frusta natantia voluunt,
Quoque feror rapidae mortis imago strepit.
Turbo dat eversum trepido celer impete cimbam.
Motibus et rumpi sutile certat opus.
Christe potens omni qua cardine vertitur orbis,
Sospes ut in medio pisce Propheta probat:
Arrige conspectum, neque me da piscibus escam,
Iusta meum, nosti, caussa coegit iter.
Ire sines inter? qui non ignota deorum,
Sed tua sollicita nomina clamo fide.
Esto nunc pacator, et hos bonus ore tumultus,
In placidas propere coge redire vices.
Tu mihi Portunum praesenti numine praesta,
Quo simul et caelos et moderaris aquas.
Incolumi liceat motus evadere tantos,
Tangere servato da sola sicca pede.
Nemo sub insanis meditatur fluctibus hymnum,
Lingua Deo grates si qua rigescit agat?
Si laudis tibi fama tuae, si gratia cordi est,
Eripe, viventes in tua sacra vacant.

---

image: s231

[gap: Greek words] ELEGIA XVII.

Quam facile e laeso destillant palmite guttae,
    Et cito nix in aquas sole liquata redit:
Tam facile erumpunt generoso e pectore fletus,
    Et vox in lacrimas commiserantis abit.
Christus inexemplo est: poenas meruere feroces,
    Illa redemptori gens inimica Deo.
Nec vindicta viros oppresserit aequior ullos,
    Quam quae Iudaicum pordidit ira genus.
Venit amans hominum populo donare salutem,
    Tradit amatorem stirps adamata neci.
Flet tamen et longos differt examen in annos,
    Praeque cavere malum, quod meruere, monet.
Tanta capit nostrae dominum miseratio cladis,
    Nec subito missi fulminis igne tonat.
Ante modos omnes medici pertentat, et omnem
    Quo valeat miseros eripuisse, viam.
Nunc igitur nos flere decet, dum certa salutis
    Spes superat, nec dum summa ruina premit.
Felices lacrimas veniae quibus exstat asylum,
    Gratia quas patulo suscipit alma throno.
Supplicat hei tarde, frustraque levamina poscit,
    Cum furit arbitrio libera flamma Dei.



---

image: s232

EPIGRAMMA.

Stabat apud Phoebi vigilem portator asellus,
    Huc leo quadrupedum rex quoque fecit iter.
Rupit ut intensam gallus modulamine vocem,
    Dat leo ceu rapido territus hoste fugam.
Viderat hunc asinus vertentem terga canenti,
    Et tacite secum deliciatus ait:
Quae pavet imbellem dominatrix bellua gallum,
    Increpitante mea est quin moritura tuba?
Sic ait, intrepidi pressitque fugatia regis
    Terga, gradu tardum, quadrupedante, pecus.
At leo conversus; non me, ignavissime, terres:
    Gallus et hostili vox premit alta metus.
Dixit: et insulsum rapiens eviscerat hostem,
    Gloriaque in sordes vana rudentis iit.

---

image: s233

MICHAELIS ABELI FRANCOFURDIANI ELEGIARUM Liber Secundus.

AD D. CHRISTOPHORUM Pelargum. ELEGIA I.

FLuctibus et ventis ergo sum credere vitam
    Ausus, et infidi monstra videre maris?
Sustmui Celeres moriendi accersere caussas,
    Exulet e solida mors velut omis humo.
Poenituisse ferunt agili transisse carina,
    Tramite quo tellus utiliore patet.
Nomen amicitiae lucis mihi sanctuis usu,
    Candor et hoc niveus conciliavit iter.
Fratris ob ardorem vitae non parcere laus est:
    Improbet officii non Eris ipsa genus.
Tempus agebatur, cum florifer indole Veris
    Mundus, ut arrisu virginitatis, ovat.
Iam calor in culmum segetes porrexit, et omnis
    Solibus optatis luxuriabat ager.
Haec caeli facies dominatur in aequora ponti,
    Atque profecturis classibus illa parat.

---

image: s234

Nauta peregrino convectas litore merces,
    Portet ut in Zephyros ex Oriente, legit
Centaurique onerat praegrandi pondere costas,
    Vix tot opes vastus robere gestet Atlas.
Desidet ille vocatque Notos, Eurumue moratur,
    Flabraque de media quae regione volant.
Tum quoque subtracto gravis ancora fune soluta est,
    Puppis et ex una parte pependit onus.
Ostia dixerunt Travae, celeberrimus amnis
    Hic sua Neptuni cornua miscet aquis.
Trava Lubecorum statio optatissima nautis,
    Velivolum capit hinc, sistit et hospes iter.
Litus ad Hesperium speculatrix vertice turris
    Prostat et assidui lychnion ignis alit.
Lumen ut indicio nantas perducat ad urbem,
    Si pelago caecae tempore noctis eant.
Finibus bis solvens in apertos carbasa ventos,
    Puppis ad aurorae limen itura, dedit.
Vela volant alte ventis tumefacta secundis,
    Pone fugit visus terra relicta meos.
Iam caelos et aquas magni duo corpora mundi
    Dixeris, excluso, regna tenere solo.
Si qua procul regio se visibus obdit acutis,
    Contiguam liquidis nubibus esse putes.
Nulla tamen stomacbo ructavit nausea nostro,
    Quae solet insuetos multa gravare viros,
Nox nec amara fuit, neque taedia longa dierum,
    Amphitritigenis exhilarabar aquis.



---

image: s235

Crebra notaturis praebent spectacula Phocae,
    Bellua Nerera proserit arce caput.
Et fluit alludens obeunta robora circum,
    Gaudeat hospitibus sicut amoena suis.
Credo equidem pisces et abyssi monstra profundae,

Quicquid et Oceani regia gentis habet:
Navibus aspectis mirari, et poscere divos,
Aequoreas hominem carpere posse vias.
Insula laevorsum caput aequore montis ad instar
Proserit, evecto conspicienda situ.
Arguit hic populos requiem captasse vetustes,
Rugia nomen enim lene quietis habet.
Terra ferax olim praest anti marte virorum,
Quos vel adbuc duri Teutonis ora canit.
Contra Sundavia est, Graiis quae dicitur Isthmos,
Hunc quasi per callem puppis agenda fuit.
Dexter habet situs ingentem viridissimus urbem,
Portus eam scita commoditate beat.
Ipsa loci ratio nomen defendit: at illi
Nescio quis Suno fingitur esse parens.
Non rosa Rostochio praebent divortia nomen
Aequoris, et ruptae creber hiatus humi.
Sunt loca caeca vadis, syrtes dixere vetusti,
Alta sub offuso surgit arena vado.
Incidat in talem si classis adacta saburram,
Dat latus, et magnam fixa requirit opem.
Talis erat ponti facies, qua dividit agros
Rugia cum silvis gens Pomerana tuis.



---

image: s236

Propter id avertit cursus ambage viarum,
Qui pomis in salsa nauta palude natat.
Haesimus hic etiam, sabulo retiniente profectos,
Immotaque stetit firma carina basi.
Illa dies docuit, quam robore certior extet,
Artifici, ratio, subveniente manu.
Praepete successu cursus porreximus ultro,
ulla nec est agilem caussa morata ratem.
Spiritus alme Deus, tua festa diemque sacrabam,
Sensibus inque tuo numine totus eram.
Cum mihi subiecit pietas, ab origine prima,
Halitus ut Domini foverit auctor aquas.
Quando vehebatur miti super aequora flatu,
Unde salo virtus flammibusque manet.
Aura Dei consors, inquam, spirabilis ardor,
Omnia qui vivo viva calore facis:
Quem Deus immensi fundens Euphratis ad instar
Corda salutifero pignore fida beat.
Nunc quoque fortuna liquidos, placidissime, cursus,
Dum procul a quovis litore vectus agor.
Quique gubernabas motus et aplaustria ceti,
Cuius ab immani ventre Propheta redit.
Te sator humani gregis alter odore colebat,
Cum domus arca viris omnibus una foret.
Ipse regis mentes hominum qui talia fingunt,
Vector ut ilignum proroget Eurus opus.
Textile velificans et figens ancora puppim,
Numinis instinctu sunt fabrefacta tui.

---

image: s237

Dulce Dei donum sapientia: scilicet isthaec
    In tantas Solomon exuperavit opes.
Hac duce postremos misit dominator ad Indos,
    Regna peregrina qui sua merce iuvent.
Sic adeo latis hinc atque hinc tractibus orbis,
    Dissita salvificam concipit ora fidem
Christus adit verbo gentes, Ecclesia crescit,
    Omnis et it verum lingua professa Deum.
Haec eadem Paulum vas nobile caussa coegit,
    Ire per Aegaei monstra vicesque maris.
Graecia fictitio pro numine discit Iesum,
    E Capitolina Iuppiter arce fugit.
Curua Redemptorem mundi scapha transuehit ultra,
    Nullius ipse licet lintris haberet opus,
Qui mare calcatum sicco pede transit, et olim
    Cedere de propria sede fluenta iubet:
Imperat et ventis, et si quid atrocius illis,
    Haec mea ni fallor es meditantis erat.
Tam repetens obitus prono temone parat Sol,
    Tollere nocturna gesta diurna mora.
Cum fortuna tulit Statinos tangere portus,
    Urbs vi de pasta nomen adepta gerit.
Vel magis a tuta statione vocabula finxit
    Navita, longinquae gentis ab orbe redux.
Musa vetustatem fastis collecta probatis
    Arguit, extructi commoditasque loci.
Odera, quem Viadrum populi linguaeque vetustas,
    Vocis et articuli, nescia, clade vocat,



---

image: s238

Ducit ut exiguos Moravis e finibus ortus,
    Diluit incurrens hic vada curua sali.
Haec maris et fluvii late spatiantis ob agros
    Gratia, communis prima corona rei est.
Emeruit pulchramque duces hic figere sedem,
    Sub quorum regio subdita iure viget.
Iamque dies ierat, pulchrumque reduxerat Eos
    Tertia, contacta dum retinemur humo.
Denique cum Viadri remeabilis ostia linquens,
    Litus arenosi lintribus, amnis, aro.
Remigio vadens adverso flumine lembus
    Et mihi quadrigas es mihi praestat equos.
Ripa duplex inter legitur variantibus umbris,
    Mollis et e silvis taedia lenit odor.
Mite genus volucrum cantu lascivit ad aures,
    Et patrium strepero promit ab oremelos.
Praecipue regina gregis Philomela canori,
    Sera sub illustri cymbala nocte ciet.
Garrit et in stagnis Lycii genitura coloni,
    Blanditiasque sua balbutit arte merops.
Mille serunt aliae vocum discrimina rostris,
    Tale quis ingenti dote pararet iter.
Ipse tot aerumnis pridem confectus et aevo
    Grandior, ut merito scamna quietis amem:
Hos tamen excursus relevaminaque apta viarum,

Delicias soleo saepe vocare meas.
Corpora seu recreat mutatus et alterat aer,
Sive recens animis provenit inde vigor.

---

image: s239

Mente novos certe sensi me carpere motus,
Quot peregre vicibus tempore Veris ii.
Ipsaque nos adeo mundi natura creatrix,
Ad sua spectatum gaudia more ciet.
Longa sat ignavae tulimus fastidia brumae,
Cum niger ante focum lumina fumus edit.
Cum nox ampla situ, cum nubila spissa dierum,
Semina morborum per grave corpus alunt.
Expertus queror, et mensis modo tertius exit,
Quas mihi tunc peperit rheuma geluque cruces?
Dania me vidit calida fornace latentem,
Aeger in ambiguo pene salutis eram.
Curua bis in sese coierunt cornua Lunae,
Quassat ut exhaustum tussis et asthma latus.
Viribus ingentem peperit dolor iste rumam,
Vix vel adhuc videor redditus ipse mihi.
Nec mihi cura fuit praesto: medicamina gentis
Larda, vel e salso concha petita lacu.
Ipse licet pernam didici quoque mandere tutus,
In succes abeunt haud tamen ista bonos.
Cruda vorent vultur, lea dira, lupique canesque,
Et quorum rabies assuefacta fero est.
Nos bona formavit limo natura tenello,
Visceribus melior convenit esca meis.
Hospitio sed enim fretus clemente iacebam,
Signa voluntatis gratus amica probo.
Morborum requiem, lenimentumque catarrhis,
Vina precor penui semper adesse meo.



---

image: s240

Massica defuerint, iam sum satis aeger, et aegro
Officium medici vina fidelis agunt.
Horrida tempestas, et quicquid adulterat vum,
Hinc abes, et nullum vitibus affer onus.
Monstratore, Deuste, quo titecula venit,
Prisci temporibus progenerata Nohae,
Da bona musta precor, crescant sine labe racemi,
Pectoris excutiant hausta meraca Notos.
Si quis et est bruto nectar qui gutture perdit,
Pessima pro vini, toxica, flore bibat.
Scilicet in tales haud condidit auctor abusus,
Lene salutaris numen opemque meri.
Sive quis affuso tingit baptismate Bacchum,
Qualibet aut teneris gustibus arte nocet:
Hauriat inferno medicatas sulphure faeces,
Epice torrenti tempus in omne lacu.
Marchia pulchra situ iam dulcibus adnatat oris,
Marchia multiplicis iure verenda boni.
Quae mihi cum cunas dederit cultumque minervae,

Ingenio tanto gratior illa meo est.
Perpetua memores mulcet dulcedine motus,
Nec sinit oblito sensa stupore trahi.
Pace tua Pannon et Rhene tenerrime dicam,
Albis et egregiis o mihi pulcher agris:
Sunt et honoratis Viadri confinibus urbes,
Dulcis et e nostris collibus uva rubet.
Sunt exertantes capita exornata puellae,
Forsitan ut vobis copia maior abest.

---

image: s241

Et mores placuere mora, Venus afflet amores,
O mihi iam curis pene sepulta Venus.
Dum bene maturos tendo cunctator in annos,
Nec Coryleta mihi nec Polyphylla placet.
Haec meditatus, aquae viridis divortia miror,
Et sinuans in quot brachia flumen eat.
Omnia quae denso discrimina pisce natantur,
Et simul immensum margine gramen alunt.
Farra serit siccis operosus arator in aruis,
Insula dat pecori cincta fluente cibos.
Vite nitent colles, praebent aluearia silvae,
Ostentatque suas pomifer hortus opes.
Virus abest agris, infestaque vipera morsu,
Si quod inest, omni reptile peste caret.
Nec piger haltibus lethalibus aesivat aer,
Gleba ferax caelum mite, salubris aqua est.
Ponere membra licet quacumque sub arboris umbra,
Nec, nisi forte culex, insidiator erit.
Has quoque ducturis angusta nocte soporem,
Flamma vaporque sequax disiciebat acus.
Iamque iter excursum est, obiterque tot acta retrorsum
Oppida, Francorum iamque propinque vado.
Quae mihi natales urbs inclita praebuit ortus,
Ingeniique graves eloquiique duces.
Quos mihi non animus tacitis attingere velis,
Sed medium requies defuit inter opus.
Equibus illustrem memoro cum laude Sabinum,
Marchia quo non fert clarius ora decus.



---

image: s242

Primitus hic paruo stillavit in oscula nectar,
Unde prius plenis faucibus ipse bibit.
Aoniumque praeivit iter, sed, ductibus uti
Hisce, queror, puero non licuisse diu.
Inclita Schofferi successit musa Poetae,
Cuius ego cineri mollia fata precor.
Huic fueram vati, quod et is fuit ante Sabino,
Aonias sitiens acer ephebus aquas.
Auctor in his gracilis bonus ille Copernicus odae,
Pieriam puerum iussit amare chelyn.
Ne loquar Abdiae late memorabilis usum,
Quem vel adhuc pietas recta latere vetat.
Nos meritis et honore gravis Cornerus et aevo,

Ausonio docuit cum Cicerone loqui.
Legibus erudiit iuvenem Schraderus: at artes
Praxmano logicas erudiente tuli.
Hoste tibi Graiae refero commercia linguae,
Iliadem studiis debeo nempe tuis.
Haec eadem Vates mihi conciliaverat aetas,
Qui nostrae minimum laudis et oris egent.
Celichum cui grande melos, cui carmina caelo
Digna, stylo, Pallas, sufficiente parit.
Praestitit Haslobius mihi tunc quoque iunctus amorem,
Ipse viro Pollux , is mihi Castor erat.
Nulla dies tanti corrumpet faedera nexus,
Soluet amicitiae vincula nulla dies.
Dum loquor et studiis quae sunt antiqua revoluo,
Flebilis offensis auribus aura venit.

---

image: s243

Sauciat ingenti me fama gravissima luctu,
Dum volat hei maestae nuntia facta rei.
Et canit, immitis fati cecidisse ruina,
Haslobium psalten, marchia cara, tuum.
Haslobium, cui dona Dei regesque canenti,
Commodat ipsi suam cantor Apollo chelyn.
Hinc gravis ubertas venae strepitantis et exors
Gratia, quemque probet Sulmo vel ipse, lepos.
Nunc mihi nulla super patriam repetisse voluptas,
Nec iuvat aspecti pristina forma situs.
Aeriae turres et culmina visa Lycaei,
Quoque suit quondam dulce lepore frui,
Quid iuvat arrisu priscum revocare favorem?
Nulla potest aegram tollere caussa crucem.
Obvia sic animis horrescunt omnia circum,
Crescit et admonitu proximiore dolor.
Vitiferi colles, quos versibus ille colobat,
Graminaque accubitu pressa repressameo:
Umbraque per tractum rivi spatiantis oberrans,
Quoque solebamus carpere calle gradum:
Nymphae, Marchiades nymphae quas perpete ripa,
Amnis Apolineae laudis amator alit.
Cur modo vos humili cerno languescere luctu?
Pallida frons certi signa doloris habet.
Irriguae valles, an et has sine carmine planctum
Promere deserti fornicis antra probant?
Ut Tritonigeri cessat generosa Poetae
Vena, Dioneis illa petita modis.

---

image: s244

Cur nemo est Xyloen, nemo est qui lene fluentis
Basia Callirhoes reddat amoena sono.
Populus et platani late surgentis in auras
Tegmen, ut admonitu, quae placuere, novas?
Cur incisa pio duo cortice nomina servas?
Cur prior intuiti qui capiatur abest?
Quid nun arcta iuvat cognatio vocis et omen?

Nomen in Haslobii pene fuisse meum.
Docte querelosis ignosce, Pelarge, Camenis
Tangit hic ex aliquate quoque parte dolor.
Eloquium dotesque viri laudare solebas,
Quaque fuit praestans utilis arte styli.
Urbs ea vicina quam despicit axis ab Arcto,
Dividit undivagis Suevus amoenus aquis:
Ingenique solique decus tibi gratulor ultro,
Urbibus egregiis te ratus esse parem.
Cui vates generare datum est, educere cunis,
Solertes animis iudicioque viros.
Quos licet exortes alte sapientia vectet,
Aemula profectus, Attica musa, tui:
Unius Haslobii dignum virtute triumphas,
Grandius est magnos amplificare libris.
Hactenus: et merito pietas sua debita poscit,
Sollicitudo aliquo discutienda modo est.
Ipsaque nunc adeo vox deficit inter eundum,
Cumque suo moreor carmine rumpit iter.

---

image: s245



DE ASTRO CASSIOPEAE ad reginam Angliae. ELEGIA II.

Inclita quae populis quondam regnavit ad Austrum,
Femina (fas modulis prisca movere novis:)
Cur nunc opposito subsidens vertice, clarum
Auget hyperboreae lumen et astra domus?
Fallor an? illustris gestat typon illa puellae,
Quae regit invicta sceptra Britanna manu.
Haud secus ut solii late splendentis honorem,
Transtulit ad Boreae Cassiopea situm:
Transtulit australis iam pridem e cardine mundi
Iura, decus regnis, templa fidemque Deus.
Aurea nunc duplices pietas consedit ad Arctos,
Nympha Caleoniae qua dominatur humo.
Regum nympha genus, Christi quae feruida cultum,
Adversus Latiae Gorgonis ausa tegit.
Persea Cassiope comitem trahit, ille feroci,
Monstra, triumphator maximus, ense domat.
Nobilis, heroas, septem regina trionum,
In sua sic animis iussa venire facit.
Obtinet hinc scopulis haerens Ecclesia palmam,
Itque Redemptori libera nupta suo.
Ne quis at ambiguus sub imagine talia fingi,
Aut dubitet tantas astra notare vices:
En nova praeteritis index illuxerat annis
Stella, serenatis pulchrior una micis.

---

image: s246

Stella prius visam quam nulla notaverat aetas,
Gratus in aspectu splendor amoris erat.

Haec quia regalem tinxit fulgore cathedram,
    Arguit imperium regia virgo tuum.
Unde pio nova lux orbi splendescet, ut olim
    Cum redit exorto candida Sole dies.
Macte bonis ergo, rectrix heroica, fatis
    Nulla tuae rabies agmina laudis edet.

DE AESTATE ANNI LXXXVIII. pluviosa, et obitu D. Petri Monavii, Medici Caes. et virt. undiquaque doctissimi. ELEGIA III.

Nubila questus eram, mensesque madoribus udos,
    Quodque meum pluviis flabra morentur iter.
Ergo ne continuis absconditur imbribus aether?
    Nec calor aestivum lumine torret opus.
Quid tamen, ut tecti, currunt, velamine soles?
    Phoebus an erepto rursus amore dolet?
Qualis odorata complexus in arbore Daphnen,
    Oscula cum ligno tristis amica dedit.
Aut quales iit in luctus Phaetonte peremto:
    Talia, si memini, verba putantis erant.
Cum levis aura cito stridoribus impulit aurem,
    Dixeris hanc volucrem: sed puto sama fuit.



---

image: s247

Vox erat augurio: Petri dum fata Monavi
    (Sic ait:) indiciis publica reddo meis,
Non potuit Phoebus non deplorare nepotem,
    Neu pudor est, alte signa dolentis ali.
Tantus enim virtute Dei, medicoque par atu,
    Deseritur prudens artis ab arte sua.
Aula virum queritur, magno quae Caesare splendet,
    Muneris ante diem deseruisse vices
Tam bene quae succos, bene quae miscebat odores,
    Debuit assiduum musa tenere decus.
Ipse quidem solitas Epidaurius acciit herbas,
    Quicquid et optatae numen haberet opis:
Ambrosiae succis aegrum dignatus Apollo est,
    Iura sed invisae praevaluere necis.
Debilis ille mora, Christo concedimus, inquit,
    Nam mea cum fatis stant rata pacta mori.
Concilium caeleste petam, cum gente beata,
    Qua mihi certa quies, et mihi parta salus.
Dixerat: obrigui Niobes ut inutile saxum,
    Vox et in attonito gutture nulla fuit.
Hunc mihi torporem ventur a levaverit aetas,
    Plura super caro funere musa dabit.

AD D. IACOBUM COLERUM, Praepositum Berlinensem, de obitu Mich. Haslobii. ELEGIA IV.

---

image: s248

Dum fatis comitem me dura per omnia praesto,
    Trans maris invisi damna, solique minas:
Casibus indocilis dare terga, sed ire paratus,
    Quo vel Atlantei fama laboris abit:
Iamque revisurus partiae oblectabilis oras,
    Odera magne tuis inspatiabar aquis.
Iamque mihi vidanta parens et quicquid amicum,
    Iam cordi gravitas et decor urbis erat.
Stringebant animos memor antis imagine dulci,
    Iure vetustatis quos mihi iunxit amor.
De quorum numero, otto pridem messibus actis,
    Qui reduci faveant, unus et alter erit.
Conditor in primis blandae celeberrimus odae
    Haslobius , Clarii maximus ille gregis.
Quem mihi consortem patriae cum Marchia fecit,
    Gratulor Aonii fontis habere ducem.
Illi victor ego tot per dispendia loetus,
    Post operum varias exiliique vices,
Sponte peractorum seriem memorabo laborum,
    Quotque viro pariunt bis duo lustra mali.
Sic peregrinantum casus et fata queremur,
    Gaudia communis sic canet ille iugi.
Quando mihi tot adulta penus monimenta politi,
    Monstrabitque sui pignora scita tori.
Spes hominium nihili, vosque o vaga somnia curae,
    Quid iuvat hei fictis ludere corda bonis?
Caudia cur quisquam praetentat inania sensu,
    Quae mox in lacrimas vertat acerba dies?



---

image: s249

Dum meditamur enim simulacra placentia menti,
    Et praesaga boni cura cor intus agit:
Sauciat ingenti me tristis epistola luctu,
    Illa tua, doctor, missa Colere manu.
Officiosa quidem cumuloque referta favoris,
    Ab saltem ex una parte fuisset iners.
Qua veniens aegras streperis singultibus aures
    Impulit, o animo fama dolenda meo.
Scilicet Haslobium diuturm examine morbi
    Isse, pios manes huc ubi fata cient.
Haslobium magnosque duces et gesta canentem,
    Immortale tuum Parnasis aula iubar.
Ille Deum multis encomia debita libris
    Laudata cecinit, clarus et ipse, tuba.
Extulit auguriis meritos cantator Olympo,
    Si qua tulit, vivax, praemia nomen habent.
Nec tantum numeris decoravit alacribus illos,
    Quos iuvat officio vatis et arte frui.
Luce diu cassos vitae revocavit ad haustus,
    Nomina carminibus dum rediviva facit.
Illius artificem miratur Gallia musam,
    Quaque viret cultis Hesperis ora viris.
Nobile profluvium venae strepitantis et uber,
    Qualibet auctorum candidus ordo probat.
Saepe mihi dixit vatis Sambucus amator,

Quam placide gravitas Haslobiana fluit.
Teque Poetarum genitricem Marchia dixit
Fabricius, teneri carminis ille faber.

---

image: s250

Terra quod Haslobium tulerit magnumque Sabinum,
Fama foris quorum grandius instar habet.
Illis esse quidem fateor feliciter actum,
Quos decor aeternum non abolendus alit.
Haslobii sed enim me casus acerbius urit,
Scripta quod occulto sub lare plura latent.
De quibus ipse virum quoties monuisse solebam?
Ede, quid o dignum luce recondis opus?
Dum vegeta virtute licet, tua prome latebris
Impiger, eque bonis optima quaeque legas.
Mutilane quondam de funere demta magistri,
In streperum, quos iudice, vulgus eant.
Cerne, poematibus docti quid venerit usu
Stigelii, vel adhuc multa parentis egent.
Sanet hiascentis qui posthuma vulnera Loti,
Auctor ab auctoris funere nemo venit.
Flebilis arbitrio fati praeventus uterque est,
Scriptaque idem possunt Haslobiana queri.
Facta nec est rerum tenuis iactura profecto,
Quaeve repensari quolibet aere queat.
Scribimus aetatem libris insumere proni,
Curaque deciduos efficit ante diem.
Imus et exedimur, dum nec venamur honores,
Nec cumulanderum nos tenet ardor opum.
Postmodo victuris ut nos vixisse probemus,
Posteritasque boni fruge laboris oute.
Dumque ita venturis vigiles impendimus annos,
Improba derisos fabula plebis edit.



---

image: s251

Atque aliquis tunc inter agros et praedia dives,
Nunc saliat, iuvenis quando canebat, ait.
Fata superveniunt miseris properanter, et ante
Quam manus exactum summa coronet opus.
Musa nec intentos simplex exercet, ut olim:
Nunc hoc nunc aliud plectra moventis agunt.
Ex quo larga manus, regumque benigna voluntas
Cessat, et ex aula Pollio, Varus abest.
Necres arcta domi, nec nos ludibria terrent,
Laudis ut inceptum destituamus iter.
Et meliora suos riserunt saecula vates,
Ques grave iudicium posteritatis amat.
Ipsa celebrari virtus a funere quaerit,
Scripta secutura laude valere sat est.
Suavibus ingeniis spes nutrimenta ministrat
Haec, ut inevicto pensa labore trahant.
O mihi victuro districtam stigmate plagam,
Quamque nec ex animis eximet ulla dies:
Non potuisse viri supremum cernere vultus,

Et valedicentis membra tenere manu,
Ilias annorum qui cum mihi suaviter acta est,
Ingenti nec amor languit ille mora.
Corpora non animos loginquis tractibus olim,
Dividit absentum lata capedo loci.
Utilibus qui me numeris dignatus amicum,
Prodidit affectus symbola certa sui.
Quemque ego inoblitis praecordia motibus ardens,
Dimidiumque mei deliciumque voco.

---

image: s252

Nec, licet illustris patriae me sedibus abdem,
Ulla voluptatis carpere sensa queam.
Dum pia simplicitas fideique adapertior usus,
Candor et exilii terga vetustus arat.
Haec inter luctus, inter pius Odera vidit
Maestitiam celeri me per arare stylo.
Dum remeto patriam male cognitus hospes ad urbem,
Taedia prolixa multiplicante via.
Quid faciam? modo plaga recens et plena dolorum,
Crudaque tractari sollicitudo negat.
Angor ubi paulum spatio lexante remittet,
Et mora contra actum mente levarit onus:
Candor amicitiae si quid desiderat edam,
In decas et cineres, frater amande, tuos.
Approbet officium, quae divolat umbra recentes
Inter, et ardoris sentiat acta mei.
Tuque pio miserans ignosce, Colere, dolori,
Flamma sinu renuit dissimulante premi.

EPITAPHIUM.

Nomina qui pridem lethi commissa tenebris
Ingenio solitus restituisse fuit,
Et vitam donare viris, raptatur ad umbras
Ipse, nec Haslobio parcit avara trias.
Parca triumphabat, sed fama, quid improba multum
(Vana tui est iuris gloria) plaudis? ait.
Vivit cui vitam monimenta sonantia donant,
Fertilis ingenii laude carere, mori est.

---

image: s253

DE SACRAE SCRIPTURAE et linguarum studio, ad Principem. ELEGIA V.

Dum lego forte situs oculo novus hospes et oram,
Qua lacus exsertae porrigit arcis opus.
Montis in amplexu, quem despicit, axe propinquo,
Arctos hyperborei cardinis illa vigil.
Martigenae faciemque domus Geniumque saluto,
Ruraque piscosi propter oberro vadi.
Ruta vetus germen tuque o fortissime Saxo,

Quem succincta fretis terra veretur, ades.
Da porro bonus agurium dominator, et ultrae
Caepta patrocinio digna favente iva.
Te numeris, te ferre iuvat salientibus alte,
Quo vatum veteres cantibus isse liquet.
Carminibus reges et regum facta supersunt,
Quos situs aeterna conditione premit.
Longa vorat monimenta dies, adamantina sunto,
Nulla Poetarum faetibus ira nocet.
Huc ades et calamis princeps adsuesce vocari,
Grandius hinc vulgo nomen in ora venit.
Dulcia scriptorum conentibus otia praestans,
Artis Arioniae fila silere vetas.
Respicis extorres hac tempestate Camenas,
Ingeniis placidam ferre paratus opem.

---

image: s254

Invitas preciisque viros et dotibus ornas,
Dulce quibus linguae Pallas aroma dedit,
Pandere caelestis divina volumina verbi,
Eque Prophetarum promere mella favis.
Huc vitrei faciunt fontes, quos musa recludit,
Israeliticum docta sonare melos.
Sola vetustorum mysteria pandere novit,
Perque patrum facilem sternere tesqua vians.
Sola salutaris Sophiae scrutatur abyssus:
Abdita suffuso lumine signa patent.
Sola satellitibus gemmas ostendit et aurum,
Quae coeco reliqui praeteriere gradu.
utque capit lucem Phoebi splendentis ab ictu
Mundus, eunt pulsa condita nocte palam.
Haud aliter pietas capit illustrata nitorem,
Hac duce luciferum praeficiente iubar.
Incipiunt avidae cultu splendescere mentes,
Occultaque iuvat cognitione trahi.
Felices adeo quibus his impendere curam
Mercibus, et divum mystica nosse datur.
Talibus ingeniis non frivolus obfuit error,
Hausta nec e putrida damna bibere lacu.
Sed potuere sacros latices aperire putando,
Tramit et vivum prolicuisse genus.
Nobilis illustri iactat se vena paratu,
Quam pius e liquido fonte petitor agit.
Et dubitamus adhuc sermoni impendere cultum,
Eloquioque sacri proluere ora styli?



---

image: s255

Inclita cum Latii noris commercia, pubes,
Dia Sioneae biblia gentis ama.
Quodque suis aetas peregrinum fecit alumnis,
Cura sit, ingenio suppeditante, legi
Prisca retractatum gentis modulamina sanctae,
Hic Solomoniacae Palladis inter opus.

Quo nos dulce monens quoque cura coegit amici,
    Fas sit ut alterna cognitione frui.
Quaere, quid hic faciam male notis scriptor in oris,
    Ursa sub imperio quas borealis habet:
Hic quoque Pierii vivacia signa laboris,
    Ille novenarum figere iussit amor.
Gloria grande bonum, certe sine carmine manca est,
    Nominis et famae regius ardor eget.
Egregii iuvenes, generis spes alta paterni,
    Natalis columen perfugiumque siutus:
Ferte pedes ultro, velut agmine et impete facto,
    Hic hic Pierio structa palaestra gregi est.
Hinc decus, hinc gazae, licet, aportetis aceruos,
    Prae quibus Assyriae nil reputantur opes.
Impiger adverso miles sese obicit hosti,
    Fortia nec dubitat vulnera ferre domum.
Ornet ut Attalicis quondam conclave tapetis,
    Splendidus ut gemma versicolore bibat.
Grande relaturus divum penetralibus aurum,
    Dulce neget quisquam ferre laboris opus?
Hic adyta Hesperidum, stant hic Paradisia Tempe,
    Unde salutiferis floribus halat odor.

---

image: s256



O mea psalmographi vernantia gaudia fructas,
    Quis Deus in verbis caelicus auctor agit?
Sicut arundineo sub cortice saccara gliscunt,
    Ceratisque latent mella liquata locis.
Vena premit flammam sub silice: gratia divum
    In scripturarum conditur alma sinu.
Torrentes alii latices in pocula poscant,
    Nectar ab indigenis fontibus ipse bibam.
Per Patriarcharum compestria passibus ibo,
    Qua veteresque gradus antetulere, sequar,
Iamque mihi videor conviva sub ilice Mambrae,
    Gramineis pariter discubuisse toris.
Aut tecum Mathusalah loqui, cui quolibet aevum
    Longius, exemplo, vivere Parca dedit.
Nunc radiosa tui contemplor cornua vultus,
    Saxea qui populis monte statuta vehis.
Nunc tua, dive puer, miracula specto, profano
    Somnia qui regi solus operta canis.
Aut te, quem coeco tantum de carcere fecit
    Gloria, res omnis digna favore fori.
Iam mihi succurrit, tercentum victor in hostes
    Qui ruit, armata quolibet osse manu.
Detinet aut cupidas orator amabilis aures,
    Qui canit unigenam, seclatot ante, Dei.
O mihi iucundi per alacria lustra sodales,
    Dum vehor alloquiis exhilarorque ducum.
DA mihi te comitem patriae formosa iuventus,
    Et mecum in pulchros expatiare situs.

---

image: s257

Nec te poeniteat silvas saltusque virorum,
    Quos modo templa tenent aetheris alta, sequi.
Neu locus obsistat, nec rustica forma domorum,
    Quo minus huc cultor Palladis ordo volet.
Iuppiter interdum tenum divertit in aedem,
    Dives et exiguo Vesta reperta foco est.
Numina sub tectis sylvestribus hospita degunt,
    Cultorumque iuvat simplicitate frui.
Nec validas tantum sedes et templa frequentant,
    Otia dilecti ruris, ut urbis, amant.
Hic ego prolixi penetrans retinacula pontis,
    Subter quem vitrei sternitur unda maris:
Panibus admixtas vidi colludere Nymphas,
    Capripedumque salax atque biforme genus.
Faunus in hoc numero inquens deserta Lycei
    Nymphigenos, ducta reste, cit ipse choros.
Iuvit Oreadibus mixtas spectare Napaeas,
    Quaeque super flores ius ZEphyritis habet.
Collibus e pressis Driades currere solutae,
    Rura sub alterno tunsa ferire gradu.
Naiades et glaucae Nereia turba sodales,
    Fontibus et rivis exiluere suis.
Muscigenis omnes hederis viridique corymbo,
    Aut viola cincti versicolore caput.
Blanda penetrales reficit fragrantia sensus,
    Qualem dulce virens Enna vel Hybla parit.
Dia Ceres flavos spicis redimita capillos,
    Et dea spectatrix, quae pecus auget erat.



---

image: s258

Fallor an? Idaliam caetu conspeximus illo,
    Nudus in has certe spicula iecit amor.
Venit et hortorum cui dat custodia famam,
    Tota sed obscoenum propulit aula Deum.
Delia praecipue sociis stipata pudicis
    Non tulit hunc, oculos occuluitque sinu.
Quique trisulcato Nereus agit aequora sceptro,
    Ad vada caeruleos nare coegit equos.
Loeta Deum facies, et erat solenne theatrum,
    Undique res sed enim deerat una choro.
Stabat iners Aegon, nec dum meliora peritus,
    Et rudibus calamis exhilarabat opus.
Quale ferunt olim miserum cecinisse Poetam,
    Cui datur aurito iudice palma Mida.
O mihi praestantesque lyrae, buxique disertae,
    Carminaque in molli tergore caesa libri.
Duxit in has postquam preciis dux inclitus oras,
    Qui Clarium properant ore ciere melos.
Namque ubi vocales pandunt vestigia musae,
    Asperitas omni de regione fugit.
Gratia succedit molli quae pectora cultu,
    Expolit auspiciis diva Minerva tuis.
Incipiunt alios animi portendere motus,
    Vis ubi Threicii numinis intus agit.
Ora modis doctae variis flexere Camenae,

Ad cytharam quoties ludit Apollo modos.
Ipse diis ultro modulamina canter Adeon
Miscet, et haec omni est musa quiete prior.

---

image: s259

Cumque sagax olim Graio pede pangeret odam,
Nunc Israeli genae sibila gentis amat.
Quodque magis mirum, quos Aeolus aequore pellit,
In numerum fluctus sacra loquentis eunt.
Quoque Deum late pietas Paeane salutat,
Hanc Notus et nemorum vox iterare docet.
Exerit et lituum volucris clangore sonoro,
Cuius adulteriis Laeda graveta parit.
Et soboli mansueta sacri commercia plausus
Dictat: io blandi plena canoris avis.
Esse voluptatem dixi, celsissime Princeps,
Victuri decus hoc nominis esse puta.
Macte esto, longumque bonis praestare patronum
Perge, nec occlusa desere coepta manu.
Otia fer sumptusque viris, quibus inclita cordi
Vena, nec invito Marte coacta fluit.
Hi meritum laudesque tuas insculpere norunt,
Readere quas nullo vis adamante valet.
Chloris amat flores, sed eas dum Chloris amabit,
Arboreique tenax montis Oreas erit:
Fontibus exultant nymphae, dum fontibus abdet
Formosi laticis Naias alumna caput.
Semper honoratae carpes encomia musae,
Obscurum pietas nec sinit esse rogum.



AD ABRAHAMUM RISENUM in Risenburgo, Princ. Elector. Sax, Mathematicum.

---

image: s260

ELEGIA VI.

E mihi dilecta regione diutius absum,
Consilii ratio quam ferat ulla mei.
Pactus eram, celer autumno vertente, reverti,
Annus ahit, nondum solvere pacta licet.
Detinet Eliae residem coniunctio nostri,
Nec dum colloquiis exatiatus amor.
Officii veteris me vis remoratur et usus,
Musaque delicii loeta sequaxque sui.
Dum tamen hibernae sub sidere Menalis ursae,
Hospes Hyperborei regna peragro situs:
Haud satis integra populos virtute revisens,
Aeger ob Oceani litus aquantis eo.
Nunc me tussis atrox, nunc horrentesque catharri,
Nunc dolor et cerebri plena gravedo premit.
Intima corripiunt viciantes pectora morbi,
Pulmo perempturo quassat acore latus.
Pallidus et macie gracilem tenuatus in umbram,

Vix traho lassatos debilitate pedes.
Seu tamen hoc crassi facit inclementia caeli,
Seu maris assiduo nos obeuntis odor.
Humidus est supra, quam quis bene crederet, aer,
Ampla suaque palus proximitate nocet.
Seu luo crassitiemque cibi, carnesque suillas,
Quaeque venit salso cochlea ducta lacu.
Delicias haec saepe voco, vescorque paratis
Conveniunt stomacho non tamen illa meo.

---

image: s261

Sic placitis deceptus ego mea pabula carpo,
Et quae post misero sunt toleranda, fero.
Namque recemiferam linquens mea gaudia Dresdam,
Te duce, te longam me comitante viam.
Venimus huc pedites tandem, cui conditor urbi
Subdubito, nomen quis pugil Hanno dedit.
Albis ibi vicibus redituque reciprocat undas,
Et sua cum salsis cornua miscet aquis.
Motus agit sursum properis concursibus aequor,
Hora quod ad reditum sena subinde vocat.
Nec tamen immota reses immarcesco taberna,
Nec fruor unius commoditate soli.
Oppida fert animus lustrare sub orbe Boraeo,
Qua premit angustam Cymbricus Isthmos humum.
Dumque per antiquis Danorum sedibus erro,
Notitiam cupidus conciliare loci:
Frigus ab axe means et Eoae partibus arcis,
Invisis violat corpus alacre modis.
Aura necat teneros: nimis intractabile caelum est,
Si quis ad has oras fors aliunde venit.
Hic superaturo totum decumbere mensem,
Parca dedit vitae non satis aequa meae.
O Quoties hic inter aquas et frigora ponti,
Inter et urgentes barbara verba nurus,
Secessus Abrahame tuos, tua culta recordor
Rura, Sudetorum qua sola fossor arat:
Pomiferosque situs, et prata nitentia pulchro
Germine, quae medicis fons obit altus aquis.

---

image: s262

Et tua quae claudunt lectissima praedia thermae,
Hospes ad has crebris cursibus aeger adit.
Quemque petebamus, summi iuga saxea montis,
Aedis in opposito, docte Risene, tuae.
Unde scatent frutices quas Hippocrateia proles
Garpit odor ata, Vere tepente, manu.
Fossa remetimur tacite, scrutator abyssi
Antra, metallipeta si qua ligone facit.
Vestra subinde mihi facies et amica recurrunt
Verba, larisque pius gratificantis honor.
Quando Syracosii rursus monimenta magistri
Fas erit affecta continuisse manu?

Parcere cui victor iussit Marcelus in armis,
Ingenio magni motus et arte senis.
Quando per artificis campestria ductilis ibo,
Linea cui totum multa figurat opus?
O mea, scriptorum spectacula grata voluptas,
Musa Mathematicos tuque professa cubos.
Tuque volubilibus quae dividis omnia punctis,
Et numeras bipatens quicquid hic orbis habet:
Quando mihi facilis Sophiae monstrabis amussim,
Quam dat discipulis Pallas alumna suis?
Nempe quater decies quamvis mihi luditur annos,
Sitque iocis aetas grandior illa vafris:
Non tamen hunc vel adhuc morem deponere possum,
Quin bonus arguti pensa laboris amem.
Vivere nec tecum felix, Abrahame, recusem,
Colloquiisque frui quae tua Musa parit.

---

image: s263

Musa subobscuros pridem scrutata recessus,
Quos tegit occulto dia Minerva sinu.
Abdita vaticinas iriades mysteria novit,
Quaeque vel Architas Pythagoreus habet.
Mole gigantea vetus ilias edit Atlantem,
Et qui stelligerum vertice voluat onus.
Fallor an? abstrusi nil indiga fabula sensus
Competit ingenio, dives Abrame, tuo.
Omnia qui penetras pernicis acumine mentis,
Quicquid alit gravitas et schola prisca boni.
Pegmate communi tecum mihi vivere detur,
Hoc ego milleno pondere munus emam.
Nunc locus et vitae ratio male mobilis arcet,
Officiique graves impediere vices.
Has mihi si partes oneris deponere detur,
Mox ego te reditu proximiore petam.
Et tecum spatiatus agros properanter et urbem
Fulgida quae venis aera secundat, eam.
Privatique tibi quod sub laris arce latescit,
Comibus indiciis excutiemus opus.
Dum tamen obstantes spes haec differtur in horas,
Interea longum, dulcis amice, vale.

AD ELIAM HUTTERUM *[gap: Greek word]* . ELEGIA VII.

Cursibus ut repeto mea pristina gaudia Dresdam,
Invisa referens e regione pedem.

---

image: s264

Adveniens operosa tui monimenta laboris
Conspicor, ac studio biblia picta tuo.
Incomperta cubi pariter spectacla recentis,
Trivimus hic cupida contulimusque manu.
Quae licet ante mihi fuerant communia tecum,
In lare privato grande latebat opus.

Vix aliquot paucos haec sacramenta iuvabant,
Munere nunc extant publica facta tuo.
Dulce rudimentum tyronibus, utile porro,
Unde peroptatae frugis aroma scatet.
Quid prius his operis lucem contingere dicam?
Quid melius plagulis ars Eliana tuis?
Mente caret quicumque opera non destinat uti,
Vituperatoris fronte, saliva, caret.
Stat sacra pellacis folii discreta supellex,
Segregat a Dominis corpora serva color.
Sic certis acies incisa phalangibus olim,
Quae sint militiae robora prima notat.
Ipse char acteres si quos litterat usus,
Ne possint animum sollicitare, patent.
Elevet haec Momus (variat sententia discors)
Quisquis es, his ipsis da meliora, precor.
Et sunt illa quidem nunc haud obscura putanti,
ut semel arte sagax extudit auctor opus.
Quam facile inventis scelerata calumnia crimen
Adserit, haud viso muta, labore, foret.
Qui molles aditus nimiumque patentia culpat
Dogmata, nae vitii proditor ipse sui est.

---

image: s265



Nutrit et invidiae subter diaphragmate virus,
Tabificae tacitus fotor amansque luis.
Dum prohibet triviis puerilibus obvia scribi,
Barbarie pietas ut, fugiente, micet.
Inclita linguarum ne forte peritia damnet,
Si quis in antiquis lapsibus error inest.
Pone, quod utilitas haud attinet ista magistros,
Tam vilemque ais, oh, quis sibi poscat opem?
Primula sed mecum vigilans elementa iuventus
Quaerit, et oblati numinis instar habet.
Est, ubi substrato tecum sine cortice nabo,
Nunc mea principium Musa levantis eget.
Per rata curriculi compendia rectius itur,
Quam si dividua dispatiere via.
Tutius eductat comitem, cui semita nota est,
Quam dux ambiguo qui pede carpit iter.
Biblia nunc operum tenui mercede levascunt,
Ante vel Atlantem grande premebat onus.
Aegaei citius violentia murmur a ponti,
Viminea liceat transiliisse scapha.
Tantae molis erat veterem perdiscere linguam,
Unde genus reliquae, ceu genitrice, trahunt.
Non, foret humano quod fors magis ardua captu
Sarcina, vel nullis perterebranda modis:
Sed quia dexteritas et idonea musa docentum
Defuit, haec tanti causa laboris erat.
Lustra cucurrerunt aliquot, dum prima legendi
Fundamenta puer, grammataque ipsa bibit.

---

image: s266

Nec tamen aetatem postquam contriverit, audet
    Perceptis animo rebus habere fidem.
Aut prodire tenus, vel spe praesumere pugnam,
    Si fremat hostili gens inimica stylo.
Hanc labem accentus dedit ignor antia: pauci
    Hactenus hanc tentant enucleare nucem.
Nec numeris, nec lege carens oratio divum est,
    In se continuo circulus orbe redit.
Dictio non usquam rupto valet ordine demi,
    Indicio pateat quin repetenda suo.
Pucta quoque atque apices serie comprendere iussit,
    Ne casu pereat mica pusilla, Deus.
Surgere tetragono molem de marmore vidi,
    Doctus amussatim quam faber arte dolat.
Fragmentum quacumque operis de parte revellas,
    Nobile conspicuo vulnere corpus hiat.
Ipse coagmentat sic scripta prophetica doctor
    Spiritus, articulis omne cohaeret opus.
Hos qui non coitus, qui non retinacula novit,
    Hebraeae synodum transeat ille scholae.
Hoc animadvertens haud ignavissimus olim,
    Cui cordi fuit hanc absoluisse colum.
Ad recutitorum se conciliabula vertit,
    Credulus hic studiis talibus esse scholam.
At non Cimmerios, non sic Nilotidas olim
    Obruit in medio nox inamaena die:
Quanta cruori petam premit ignoratio verpam,
    Qui Patriarcharum se genus esse canit.



---

image: s267

Ergo ducem quaeras, ut compita monstret eunti,
    Qui Thamiraque minus Tiresiaque videt?
At tibi debentur grates, tibi nomen in aevum.
    Et decus, Elia, quale beatus amat:
Fontibus antiquis haec qui mysteria promens,
    Non prohibes amplo publica iure vehi.
Quodque tua exculpsit memori solertia nixu,
    Cedere vulgatis usibus omne iubes.
Amnibus et rivis late vicinia gaudet,
    Quando foras domino lympha sinente, fluit.
Non sibi sed multis virtus seruire laborat,
    Gaudet et ipsius proditione sui.
Haec parit aeternam tibi promulgatio laudem,
    Grandiu ex meritis nomen ab ora vehes.
Si qua venit ducis ingenium mirabitur aetas,
    Grataque cognito posteritatis erit.
Iamque dies instat, magna cum mole requirent,
    Gentes et populi regnaque tota Deum.
Signa trophaeorum late victritia stabunt,
    Festa celebrabit relligionis amor.
Vox Evangelii tuba grande crepantis in auras,
    Agmen ab extremi finibus orbis aget.
Nomina vanescent tot inania, desinet ultro
    Futile linguarum, prae pietate, chaos.
Exstima progenies olim, nunc prima feretur,

Unaque congeries, unus aceruus erunt.
Qualis ubi circum pulchri primordia mundi,
Cum nova primaevae gratia luxit humi.

---

image: s268

Una cubi facies toto regnabat in orbe,
E qua nos trahimus nata propago genus.
Prisca fides pietasque cito nos coget in unum,
Fulgida tetragoni templa capacis, opus.
Huc adeo sanctae facit illustratio musae,
Quam veteri novitas vindicat illa situ.
Ne qua calescentes profectus culpa moretur,
Palma sed in studio simplicitatis ovet.
Haec via concordis pacti, sic foedera constant,
Una fides ex hoc elicienda libro est.

AD EUNDEM. ELEGIA VIII.

Quem fore credebas tibi tempus in omne fidelem,
Numen amicitiae praesidiumque tui.
Defecisse cito nunc indignaris, et ultro
Prodere, decepta simplicitate, fidem.

Propter id in curas animum dirumpis inanes,
Candor et ingenuo pergit amore queri.
Interiecta feri ceu sit tibi caussa doloris,
Aut iactura pari non reparanda bono.
Aequiparare diis animal variabile noras,
Stultus, an humanum plasma putare canes?
Stat Deus aeternum mens immutata molossus,
Sic benefactori semper adhaeret hero.
Ergo coloratum fuco variare colorem,
Fers animo lacrimans impatiente, genus.

---

image: s269

Nec tibi succurrit brevium fortuna rosarum,
Patria quas levitas excutit ante diem.
Nec tot inutilium subeunt exempla virorum,
Tempore qui dubio deservere suos.
Talis et est habitum, faciemque et tergora mutans
Stellio, mutati pro ratione loci.
Moribus his toto nil evulgatius orbe est,
Nullaque non aetas tale catharma creat,
Stirpis in humanae sobolem spes ponere vanum,
Plena Deo sacri psaltria vatis ait.
Quid faceres ubi fata virum suprema tulissent,
Tene dolor properae dederet iste neci?
Flore suo gaudens aliquot numerabat amantes,
Solus ab infami stipite Christus ovat.
Siste animos, questumque leva toleranter, amicos
Dat fortuna parens, ipsa noverca probat.
Fausta dies gravido profugos temone reducet,
Plaustraque congeriei gratificantis ages.
Vitat hirundo nives, at ubi ver aera mollit,

Advolat antiquos ales alumna lares.
At tu cum reducum complexibus obvia cernes
Brachia, porrectas iugeribusque manus.
Fronte serenata, detractis podice braccis,
Nudatis iubeas basia ferre genis.

INSIGNIBUS ANDREAE REUSSII, V. nobilis et ampliss.

---

image: s270

ELEGIA IX.

Barbarus in clypeo quid atrocibus eminet armis
Miles? an ut certet Martia clava togae?
Non ita: pro caris sese popularibus offert,
Condere, firmata pace, salutis opus.
ut leges vigeant, per quas Respub. longum
Commoda communis provehat alma status.
Quod nisi consilium patriis pro moenibus instans
Urgeat, armorum debilis usus erit.
Hoc fora marte vigent, non ut vis impete praeceps,
Coecaque bellantes sanguine pugna lavet.
Tene dolor sapiens in praelia trudet inermem?
Scutave Pierio fas penetrare stylo est?
Tela vibrat miles, peragit prudentia bellum,
Nec validi tantum est roboris illud opus.
Quem sine iudicio dolor efferus urget in hostem,
Vulnera cum turpi dura pudore feret.
Adde, quod, ut pateant acies mucronibus altis,
Saepius eloquii frangitur arte furor.
Fulminibus decorate suis facundia praestat,
Mille quod armatae non valuere manus.
Obtinet Aeacidae sapiens herois Ulisses
Arma, dat Aiacem lata repulsa neci.
Pergama capturus non belli robur Atrides,
Sed bis quinque sibi Nestoras esse vovet.
It Deus assertor Sophiae et dux ipse, coronat
Denique consultum mascula palma virum.

---

image: s271

His crescunt operis urbes, sacra gloria crescit,
Et tuta pietas relligione viret.
Talibus emeritis patriam, sua gaudia, solers
Reussius, et studio gratus amante colit.
Hic, amor, hae curae et prior omni fama triumpho,
Hinc spolium sapiens stemmaque fortis habet.
Qui se consilio bonus, oraque commodat ultro,
Omnia largitur civibus ille suis.
Perge tuos, Reussi, decorare forensibus armis,
Vulnifico scatet hinc gratia marte prior.
Aeternum parientque tibi monimenta favorem,
Quae sapiens merito Caesar habere dedit.

FINIS.

[gap: Errata list]

---

image: s272

[gap: Errata list]

